COMPENDIUM
THEOLOGIÆ ASCETICÆ

scripsit

F. P. ADOLPHUS O. M. C.

Tomus II

HONGKONG
Typis Societatis Missionum ad Exteros
1921

COMPENDIUM

THEOLOGIÆ ASCETICÆ.



COMPENDIUM
THEOLOGIÆ ASCETICÆ

AD

Vitam sacerdotalem et religiosam rite instituendam.

Tironum Franciscalium usui

scripsit

F. P. Adolphus a Denderwindeke

Magister novitiorum emeritus

Ordinis Minorum Capuccinorum

Provinciæ Belgicæ.

TOMUS II

Hong-Kong. — Typis Nazareth.

1921.

INDEX RERUM

QUÆ IN HOC SECUNDO VOLUMINE CONTINENTUR.

PARS TERTIA

De confirmatorum consummatione per perfectam S. Evangelii observationem.

Notiones de variis perfectionis statibus. 2

LIBER PRIMUS

Prima consummatio seu de perfectione vitæ christianæ in genere.

CAPUT I. — De natura perfectionis christianæ. 8
Art. I. — De perfectione essentiali et principali vitæ christianæ. 8
Art. II. — De perfectione accidentali vitæ christianæ. . 11
§ I. — Necessitas aliarum virtutum. . . . 11
§ II. — Discrimen inter caritatem et ceteras virtutes quoad perfectionem vitæ christianæ. . 12
Art. III. — De perfectione totali vitæ christianæ. . . 13
§ I. — Natura perfectionis simpliciter dictæ. . 14
§ II. — Corollaria ex notione perfectionis profluentia. 16
CAPUT II. — De gradibus perfectionis christianæ. . . . 18
Art. I. — Requisita intrinsece ex parte caritatis ut plenitudo perfectionis vitæ christianæ habeatur, ejusque varii gradus. 19
Art. II. —Requisita extrinsece ex parte caritatem habentis ut plenitudo vitæ christianæ habeatur, ejusque varii gradus. 21
CAPUT III. — De tribus vitæ christianæ viis. 23
Art. I.— De via purgativa. 25
§ I.— De emundatione peccatorum. . . . 26
§ II.— De pugna contra tentationes. . . . 29

2066

Art. II. — De via illuminativa. 45
I. — De confirmatione status gratiæ. . . . 47
§ II. — De conformatione vitæ ad Christum. . . 47
§ III. — De præcipuo studio viæ illuminativæ seu de Humilitate. 48

Art. III. — De via unitiva. 68
§ I. — De observatione consiliorum. . . . 69
§ II. — De intentione et attentione ad Deum. . 75

LIBER II

De statu perfectionis.

CAPUT I. — De natura status perfectionis. 84
Art. I. — De statu communi. 85
Art. II. — De statu perfectionis. 86
§ I. — Status perfectionis communicandæ. . . 86
§ II. — Status perfectionis acquirendæ. . . . 88

Art. III. — De natura status religiosi. 91

NOTA. — Comparatio inter episcopos, sacerdotes et religiosos. 93

CAPUT II. — De excellentia status religiosi. 94
Art. I. — De excellentia status religiosi ex ipsius natura probata. 94
§ I. — Excellentia finis status religiosi. . . . 94
§ II. — Excellentia mediorum. 95
§ III. — Excellentia status religiosi qui per votum stabilitur. 99

Art. II. — Excellentia status religiosi ex ejusdem conformatione ad doctrinam et vitam Christi. . 103
§ I. — Probatur per Scripturam Sacram. . . 104
§ II. — Probatur per auctoritatem Ecclesiæ catholicæ. 112

Art. III. — Excellentia status religiosi ex sua ordinatione ad manifestandam Ecclesiæ sanctitatem. . 116
§ I — Quid sanctitatis nota et quare observationem consiliorum requirit. 117

§ II.— Ab initio Ecclesiæ viguit consiliorum observatio. 118
§ III.— Consiliorum observatio Ecclesiæ sanctitatem manifestavit. 125

Art. IV.— Excellentia ex fructibus quos status religiosus parturit. 127
§ I.— Fructus a statum religiosum profitentibus percepti. 127
§ II.—Fructus ab Ecclesia statuque civili percepti. 130

LIBER TERTIUS

De Statu Franciscano.

Caput I. — De excellentia status franciscani. 133

Art. I. — De variis religiosorum ordinibus. . . . 135
§ I. — Varietas ordinum religiosorum ex fine. . 135
§ II. — Varietas ex mediis. 137
§ III. — Varietas ex conditionibus juridicis. . . 149

Art. II. — De principiis quibus in genere excellentia ordinum religiosorum stabilitur. 149
§ I. — Rationes positivæ quibus excellentia stabilitur. 149
§ II. — Rationes negativæ. 154
§ III. — Rationes juris canonici. 154

Art. III. — De excellentia religionis minoriticæ. . . 154
§ I. — Finis status franciscani. 155
§ II. — Aptitudo mediorum ad finem mixtum optime ordinatorum. 159
§ III. — Severitas cultus et disciplinæ. . . . 172
§ IV. — Approbatio regulæ franciscanæ. . . 174

Caput II. — De conditionibus ad statum franciscanum profitendum requisitis. 178

Art. I. — De candidati vocatione et ad ordinem acceptatione. 180
§ I. — Vocatio franciscana. 180

Prop. I. — Deus in abstracto, modo generali, omnes fideles ratione capaces ad statum perfectionis invitat. 184

Prop. II. — Deus in concreto non omnes invitat, licet tamen ad consilia evangelica sequenda vocatio Dei ordinaria sufficiat, et de ejusdem existentia facili modo dijudicare possimus. . . 191

Prop. III. — Ad vocationem stabiliendam necessario requiritur deliberatio, ... 195

Prop. IV. — Omnes sedulo exhortandi sunt ad vocationem exsequendam. 201

§ II. — Vocatio sacerdotalis. 209

Art. II. — De probatione vocatorum. 211

§ I. — Probatio postulantium. 212

§ II. — Finis et temperatio novitiatus. . . . 215

§ III. — Causæ defectionis novitiorum. . . . 232

CAPUT III. — De professione franciscana. 245

Art. I. — De natura professionis religiosæ in genere. 245

§ I. — De notione professionis religiosæ et de iis quæ necessario importat. 246

§ II. — De diversis speciebus professionis religiosæ. 252

§ III. — De effectibus professionis religiosæ. . 255

Art. II. — De natura professionis franciscanæ. . . 259

§ I. — Tria vota religiosa in ordine minoritico. . 259

§ II. — Taxatio votorum per Regulam Seraphicam. 261

§ III. — Taxatio votorum per Constitutiones F. F. M. M. Capuccinorum. 269

§ IV. — Taxatio votorum per potestatem Superioris ordinis. 277

LIBER IV

De obligationibus Religiosorum.

TRACTATUS I

De obligationibus ex naturâ statûs religiosi fluentibus.

CAPUT I. — De obligatione permanendi in suscepta vita religiosa. 281

§ I. — Obligatio in statu franciscano permanendi. . 282

§ II. — Malitia apostasiæ. 284

§ III. — Causæ apostasiæ. 287

CAPUT II. — De obligatione tendendi ad perfectionem. . . 289
Art. I. — De obligatione in genere. 290
§ I. — Christiani ex vi status non tenentur ad perfectionem sectandam. 290
§ II. — Religiosi ex vi status ad eam sectandam graviter tenentur. 293
Art. II. — De natura obligationis perfectionem sectandi. 296
Art. III. — De peccatis obligationi perfectionem sectandi contrariis. 299
§ I. — Peccata mortalia. 301
§ II. — Peccata levia. 304

TRACTATUS II

De obligationibus statûs religiosi ex votis emissis fluentibus.

De naturâ voti in genere. 309
Sectio I. — De voto paupertatis. 315
CAPUT I. — De natura paupertatis in genere. 316
§ I. — Ad quid ordinantur divitiæ? . . . 316
§ II. — Ad quid inservit paupertas? . . . 316
§ III. — Ratio cur paupertas divitiis anteponenda sit. 318
CAPUT II. — De natura voti paupertatis. 320
Art. I. — De objecto remoto voti paupertatis. . . 320
§ I. — Dominium in genere. 320
§ II. — Dominium utile seu usus. . . . 321
Art. II. — De ejus objecto proximo. 322
§ I. — Varii modi paupertatem vovendi. . . 323
§ II. — Objectum proximum voti emissi. . . 325
CAPUT III. — De natura paupertatis franciscanæ. . . . 326
Art. I. — Norma in paupertate vivendi in Regula franciscana præscripta. 327
Art. II. — Media ad vitam sustentandam a Regula imposita. 328
§ I. — Labor. 329
§ II. — Eleemosynæ sponte oblatæ. . . 329
§ III. — Mendicatio. 330
§ IV. — Recursus ad amicos spirituales. . . 330

CAPUT IV.—De motivis ad paupertatem franciscanam profitendam impellentibus. 333
Art. I. —De altissima paupertate Christi et Apostolorum. 334
§ I.— Modus in paupertate vivendi Christi et Apostolorum. 334
§ II.— Paupertas altissima Christi et Apostolorum. 335
Art. II. — Paupertas fundamentum perfectionis evangelicæ. 340
§ I. — Altissimam paupertatem suadet ratio. . 340
§ II. — Eam suadet fides. 341
Art. III. — Altissima paupertas societati magna confert beneficia. 342
§ I. — Societas christiana varia habet munera non æque ab omnibus adimplenda. . . . 342
§ II. — Munera spiritualia præstantiora sunt temporalibus. 343
§ III. — Altissima paupertas medium est altissimum societati in spiritualibus serviendi. . 343
§ IV. — Conveniens ut de bonis alienis vivant. . 346

CAPUT V. — De obligationibus religiosorum quoad paupertatem. 346
Art. I. — De obligationibus ex voto paupertatis fluentibus. 346
§ I. — Vitium proprietatis. 347
§ II. — Vitium contra statum paupertatis. . . 358
§ III. — Obligatio vitæ perfecte communis ducendæ. 369
§ IV. — Aliqua attendenda circa violationem voti paupertatis. 371
Art. II. — De obligationibus ex virtute paupertatis fluentibus. 377
§ I. — Notio virtutis paupertatis. . . . 378
§ II. — Actus virtutis paupertatis . . . 379
§ III. — Vitium virtuti paupertatis contrarium. . 382

CAPUT VI. — De beatitudine religiosi potissimum Franciscani paupertatem fideliter observantis. 382
Art. I. — Religiosus jucunditate fruitur ratione extrinsecæ securitatis. 383
Art. II. — Jucunditate fruitur ratione exspectatæ mercedis. 385
Art. III. — Ratione superinfusæ consolationis. . . 387

Sectio II. — De voto castitatis. 391

CAPUT I. — De natura castitatis. 392

CAPUT II. — De excellentia castitatis. 394
§ I. — Finis castitatis conjugalis. 394
§ II. — Finis castitatis perfectæ. 395
§ III. — Finis sublimis virginitatis. 398

CAPUT III. — De voto castitatis religiosæ. 399
§ I. — Natura voti castitatis religiosæ. . . . 399
§ II. — Bona quæ religiosis ex voto castitatis obveniunt. 400

CAPUT IV. — De luxuria. 404
§ I. — Natura luxuriæ. 404
§ II. — Malitia luxuriæ. 407

CAPUT V. — De asperitate belli contra luxuriam. 409
§ I. — Pugna contra luxuriam. 409
§ II. — Divinum auxilium quo gaudet religiosus. . 412

CAPUT VI. — De mediis ad superandam luxuriam. 413
§ I. — Media generalia. 413
§ II. — Cautiones omnibus regularibus jure communi præscriptæ. 417
§ III. — Cautiones a Regula Franciscana præscriptæ. 417

Sectio III. — De voto obedientiæ. 424

CAPUT I. — De potestate Superiorum. 426

Art. I. — De origine potestatis in genere. . . . 426
§ I. — Omnis potestas humana a Deo est. . . 427
§ II. — Omnis modus ad potestatem perveniendi a Deo ordinatur. 429

Art. II. — De potestate qua pollent superiores Ordinum religiosorum. 430
§ I. — Potestas dominativa. 430
§ II. — Potestas jurisdicitionis. 434

Art. III. — De obligationibus Superiorum Ordinum religiosorum. 437

CAPUT II. — De obedientia subditorum. 442

Art. I. De reverentia Superiori debita. 443

Art. II. — De obedientia in genere 447
§ I. — Natura obedientiæ. 447

§ II. — Necessitas obedientiæ. 449
§ III. — Honestas obedientiæ. 451

Art. III. — De voto obedientiæ religiosæ. 454
§ I. — Natura voti obedientiæ. 455
§ II. — Excellentia hujus voti. 468
§ III. — Peccata contra obedientiæ votum. . 471

Art. IV. — De virtute obedientiæ. 473
§ I. — Conditiones ad obedientiam perfectam requisitæ. 473
§ II. — Gradus obedientiæ perfectæ. . . . 479
§ III. — Moralitas obedientiæ cæcæ. . . . 479

TRACTATUS III

De obligationibus ex legibus Ecclesiæ fluentibus.

Caput I. — Præcipuæ leges ecclesiasticæ statum religiosum respicientes. 489

Caput II. — Cultus ordinis minoritici erga Ecclesiam Romanam. 492
Art. I. — Cultus S. Francisci. 493
Art. II. — Rationes cultus erga Ecclesiam Romanam. . 494
Art. III. — Signa quibus perfecta obedientia erga Ecclesiam dignoscitur. 497

TRACTATUS IV

De obligationibus ex Regula et Constitutionibus fluentibus.

Caput I. — De auctore et excellentia Regulæ S. Francisci et Constitutionum Capuccinorum. 502
Art. I. — Auctor. 502
Art. II. — Excellentia Regulæ et Constitutionum. . . 504

Caput II. — De Regulæ et Constitutionum vi obligatoria. . . 506
Art. I. — Vis obligatoria quæ per se inest Regulæ et Constitutionibus. 507
Art. II. — Vis obligatoria quæ per accidens eis inest. . 509
Art. III. — Modus quo Regula et Constitutiones interpretandæ sunt. 513

CAPUT III.—De necessitate Regulam et Constitutiones observandi pro fratribus saluti animarum incumbentibus. . 515

Art. I.—Ministri evangelii sancti sint oportet. . . 516

Art. II.—Sanctitas Fratris Minoris saluti animarum incumbentis postulat Regulæ et Constitutionum observantiam. 520

Art. III.—Nefas est Fratri Minori sub ullo prætextu exercitia spiritualia in Regula et Constitutionibus præscripta negligere. 523

Conclusio. 525

Index Rerum et bibliographia. 531

Index analyticus. 895

PARS TERTIA.

De confirmatorum consummatione per perfectam S. Evangelii observationem.

797. — Homo peccator per expugnationem vitiorum reformatus, et per virtutum exercitationem in statu gratiæ confirmatus, vitam suam ad vitam Christi jam conformare valet. Ast, Frater, hæc conformatio vitæ nostræ ad Christum consummari potest per perfectam S. Evangelii observationem.

Duplex tamen ad vitam est via: una per observationem mandatorum, altera vero per observationem consiliorum. De hâc perfectâ S. Evangelii observatione seu de perfectione vitæ christianæ in hâc tertiâ parte sermo est instituendus.

Perfecta S. Evangelii observatio seu perfectio vitæ christianæ trifariam considerari potest 1. *in seipsâ*, prout nempe a Christo omnibus suis discipulis proponitur; 2. in statu particulari seu in statu perfectionis, prout nempe quis sese ad majora adstringit ut perfectius Deo serviat, et demum 3. in statu determinato perfectionis, qui pro nobis est status franciscanus.

Unde triplex consummatio: consummatio confirmatorum
1° in genere,
2° in statu perfectionis seu vitâ religiosâ,
3° in statu franciscano.

Jam exinde concludere poterimus 4. ad obligationes religiosorum.

Priusquam tamen hæc explicamus, nobis opportunum

videtur aliquas præmittere notiones de variis perfectionis statibus quæ in Ecclesiâ Christi inveniuntur.

NOTIONES DE VARIIS PERFECTIONIS STATIBUS.

Ecclesia catholica formaliter spectata, Frater, est quædam spiritualis et supernaturalis respublica, seu cœtus hominum, qui ejusdem fidei professione et eorumdem Sacramentorum communione colligatus, sub regimine unius capitis Christi ejusque vicarii per media sibi congruentia ad æternam tendit felicitatem [1].

In hâc spirituali republicâ varii inveniuntur status, seu stabiles vivendi normæ.

Unde dicemus 1. quid sit status, 2. quinam sint status in quibus homo vivere possit, et 3. quid proprie per statum vitæ christianæ intelligatur.

I. — De naturâ status.

798. — Quid est? — *Etymologice* status originem ducit a verbo *stare.* Stare enim dicitur homo, qui rectus in eodem loco permanet. Duo nempe requiruntur ut quis stare dici possit : ut sit *rectus* et *fixus* in eodem loco.

Metaphorice vox status adhibetur ad designandos certos quosdam existendi seu vivendi modos, qui per fixitatem seu permanentiam suam, similitudinem quamdam habent cum homine stante, id est, in eodem loco permanente. Et sic recte dicitur: status servitutis, status matrimonii, status religiosus; quia in his vivendi modis reperitur quæ-

(1) Cfr. SUAREZ, *De religione.* Tract. 7. L. 1. c. 2. n. 2. — P. STEIGER, o. c. p. 1.

dam firmitas, seu immobilitas; non autem recte dicatur status ridentis, status scribentis; quia hæc transitorios actus denotant, non permanentes vivendi modos [1].

SENSU STRICTO, juxta communem usum loquendi theologorum, est norma vivendi stabilis ex causâ aliquâ, quæ mutationem vel impossibilem vel saltem difficilem reddit [2]. Unde sequitur, solam carentiam mutationis non sufficere ad statum habendum, et per consequens aliquis, absque voto, virginitatem observans, dici non potest esse in statu virginitatis, nam licet de facto illum vivendi modum non mutet, quotidie tamen illum mutare posset, siquidem nulla causa adest quæ hanc vivendi normam stabilem reddit [3].

Porro, *omnis status est vel libertatis vel servitutis.*

Summa divisio personarum dicitur hæc esse, Frater, quod omnes homines aut liberi sunt aut servi. Cum autem in omni statu habeatur causa permanens quæ hominem ad certam vivendi normam obligat: hæc norma vivendi est vel libertatis, vel servitutis; prout nempe aliquis est sui juris vel alieni [4].

Hic quærere possis quænam sit causa vi cujus aliquis in certo vivendi modo permanere dicitur. Sciendum est, has causas varias esse et multiplices, secundum ipsius statûs naturam. Sic pro statu libertatis naturalis hæc causa est amor seu tendentia ad conservandam libertatem; in statu servitutis est dominium heri, etc.. Sed cum hic agatur de statu morali et sociali, nempe de statu perfectionis, inquirendum ultra est, quænam causa requiratur ut quis in tali statu, v. g. in statu religioso inveniatur.

Causa quæ ad certam vivendi normam moralem et socialem obligat, debet esse *factum sociale,* re vel jure *publicum, obligationem* imponens vel ab eâ liberans. Dico factum *sociale* re vel *jure publicum,* nam quæ in conscientiæ latebris oc-

(1) BOUIX, *De jure Regularium,* Parisiis, 1857, P. I. L. 1, c. 1. — (2) Cfr. S. TH. 2. 2. q. 183, a. 1. ad 3. — (3) BOUIX, l. c. — (4) Cfr. S. TH. 2. 2. q. 183, a. 1.

cultantur, patent quidem Deo et sic obligationem moralem inducere possunt, minime vero patent Ecclesiæ societati, ideo per se nec conditionem, nec obligationem *socialem* generant.

Hæc facta fere ad tria sequentia reducuntur :

a) ad legem. Lex enim obligationem stabilem injungit vel peremptorie liberat.

b) ad susceptionem sacramenti, quod obligationem perpetuam vel vinculum perenne injicit, ut sacramentum baptismi, ordinis, matrimonii.

c) Ad actum propriæ voluntatis externe et socialiter manifestatum, puta dum quis voto publice prolato sponte obligationem assumit perennem. [1]

Conclusio.— Ad omnem statum habendum tres igitur sequentes conditiones requiruntur, nempe: *a)* norma vivendi libertatis vel servitutis, quæ sit *b)* moraliter permanens *c)* ex causâ stabili.

Ad statum autem moralem et socialem, ultra conditiones enumeratas, requiritur ut norma vivendi sit *socialis*, et causa permanens in *facto sociali* fundetur.

II. — De variis statibus hominum.

799.— Varii status inveniuntur, Frater, in quibus homines vivere possunt.

1. Alii ad *finem mere naturalem spectant.* Sic in civili republicâ invenitur *status minorum*, qui tutoris potestati subduntur, et *status majorum*, qui libertate fruuntur. De his ac similibus statibus hic non agitur.

2. Alii ad *finem supernaturalem hominis spectant.* Hi autem duplicis sunt generis: alii respiciunt statum viæ, alii vero statum termini.

Status termini duplex iterum invenitur: *Beatorum et dam-*

(1) P. Steiger, o. c. p. 2.

natorum. Conditio animarum in purgatorio degentium, utpote transitoria, proprie ut status non consideratur.

Status viæ distinguitur in *statum innocentiæ* et *statum naturæ lapsæ* [1]. *Status naturæ lapsæ* iterum dividitur in *statum naturæ, statum legis veteris* et *statum Ecclesiæ Christi.*

Duobus primis nunc omissis, tertium vocamus statum vitæ Christianæ.

III.— De statu vitæ christianæ.

800.— Quid est?— Status vitæ christianæ, universalissime acceptus, non est nisi ratio aliqua vivendi stabilis ac firma ad Deum finem supernaturalem in hâc vitâ et in futurâ consequendum, Christo auctore, instituta atque ordinata ; qui vivendi modus in solâ Ecclesiâ Christi invenitur, in fide Christi fundatur, et ideo status vitæ christianæ nuncupatur. [2]

Vere et proprie est status.

Hoc apprime probat Suarez [3]: "Inprimis in illo magna stabilitas et firmitas invenitur: primo quidem in communitate Ecclesiæ Christi ; quia in ipsâ tamquam in firmissimâ petrâ fundata est, principaliter, et ex promissione ac potentiâ ejus, ita stabilita est, ut portæ inferi contra eam prævalere non possint. Deinde etiam in singulis personis hunc statum profitentibus, habet causam permanentem de se, ac stabilem. Quia fundatur inprimis in professione fidei factâ in baptismo, quæ de se obligat ad permanendum semper in tali genere vitæ ad salutem animæ pertinentis, et in verâ Christi fide. Deinde fides ipsa habet firmissima fundamenta ; et impetrare potest vires et auxilia ad perseverandum in Christi Ecclesiâ : habet ergo hic modus vitæ perfectam rationem statûs."

---

(1) Recole supra n. 14.— (2) Cfr. SUAREZ, o. c. L. 1. c. 1, n. 17, P. STEIGER, p. 12.— (3) O. c. l. c.

Varii status vitæ christianæ.— In Ecclesiâ Christi sub hâc universalitate multiplices in concreto inveniuntur status, ut Concilium Tridentinum [1] definivit, et ex facto visibili omnibus patet. Sic:

a) In ordine ad bonum commune invenitur *status laicalis;* ad regimen Ecclesiæ: *status clericalis.*

b) In ordine vero ad bonum spirituale singulorum: *status vitæ communis* et *status perfectionis.*

De duobus ultimis hic est tractandum. Claritatis causâ prius de perfectione vitæ christianæ in genere sermo est instituendus.

(1) Sess. 23. *De Ordine*, cap. 4, can. 4, 6.

LIBER PRIMUS.

Prima consummatio
SEU
De perfectione vitæ christianæ in genere.

801. — Perfectum dicitur, Frater, id cui nihil deest in ordine suo; seu id omne et solum cui nihil deest ad finem propter quem est. Aliis verbis: uniuscujusque rei perfectio est unio ejus ad suum finem ultimum, et definiri potest: Complexus partium aut proprietatum quæ requiruntur, ut enti nihil desit ad finem propter quem est secundum intentionem operantis vel imperantis. Unde v. g. si omnia requisita adsunt, flos possidebit perfectionem *naturalem;* horologium, *artificialem;* homo, *moralem;* angelus, *spiritualem;* Deus, *increatam.*

Aliquid tamen ad perfectionem spectare potest essentialiter vel accidentaliter. "Sciendum, inquit Angelicus, [1] quod ad perfectionem alicujus rei dupliciter aliquid pertinet. Uno modo ad constituendam essentiam rei: sicut anima requiritur ad perfectionem hominis. Alio modo requiritur ad perfectionem rei, quod pertinet ad *bene esse* ejus: sicut pulchritudo corporis vel velocitas ingenii pertinet ad perfectionem hominis." Unde perfectio totalis alicujus rei requirit ut tam essentialia quam accidentalia simul adsint. Inquirendum venit — 1. De naturâ perfectionis christianæ, — 2. de hujus perfectionis gradibus, et demum — 3. de variis ad perfectionem viis.

(1) 1. 2. q. 4, a. 5.

CAPUT I.

DE NATURÂ PERFECTIONIS CHRISTIANÆ.

802.— Vita christiana, seu norma vivendi a Christo præscripta et ordinata ut homo Deum finem suum supernaturalem in hâc vitâ et in futurâ attingere valeat, varia continet præcepta atque consilia; varia etiam amplectitur elementa supernaturalia, ut gratiam sanctificantem, virtutes theologicas, virtutes morales infusas, dona Spiritûs Sancti. Necesse igitur est ut videamus quid proprie requiratur ut vita christiana perfecta dici possit.

Juxta sententiam theologorum [1] et Patrum Spiritualium, perfectio vitæ christianæ consistit:

1. *Essentialiter* et *principaliter* in caritate, complectente tamen gratiam sanctificantem.

2. *Accidentaliter* in ceteris virtutibus.

3. *Totaliter* seu *simpliciter* in habitu tam caritatis quam ceterarum virtutum infusarum et donorum Spiritûs Sancti, una cum dispositione permanente *ad modum habitûs* acquisitâ, quâ justus semper et quasi connaturaliter recte operari possit juxta præcepta et, si oportet, juxta consilia Domini. Unde 1. de perfectione essentiali et principali; 2. de perfectione accidentali et 3. de perfectione simpliciter dictâ.

ART. I.— De perfectione essentiali et principali vitæ christianæ.

803.— Perfectio consistit 1) essentialiter et 2) principaliter in caritate complectente gratiam sanctificantem, quæ

(1) S. THOM. 2. 2. q. 184, a. 1. Opusc. *de perfect. vitæ spir.* cap. 1. Quodlibet 3, a. 17.— SUAREZ, o. c. L. 1, c. 3 n. 5.— P. STEIGER, o. c. p. 3 sq.

in præsenti ordine justificationis ipsius socia individua manet, et 3) respicit Deum et proximum.

In caritate consistit perfectio.— Finis enim ultimus ad quem homo creatus est, est Deus, et quidem in nostro ordine justificationis Deus in se attingendus. At virtutes morales versantur, uti jam vidimus [1], circa ea quæ sunt ad finem, removendo exterius et interius quæ prohibent ejus adeptionem. Virtutes theologicæ versantur quidem circa finem, ita tamen ut fides illum demonstret, spes in eum nitatur, sed sola caritas cum eo hominem uniat, juxta illud Joannis [2]: *Qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo.* " Sciendum est, ait Seraphicus Doctor [3], quod radix, forma, finis, complementum et vinculum perfectionis caritas est, ad quam magister omnium Christus Legem, Prophetas, et per consequens omnia Dei documenta reducit." Non tantum perfectio vitæ christianæ in caritate consistit, sed in eâ consistit

1) ESSENTIALITER.— Audi S. Joannem [4] hanc veritatem aperte docentem: *qui non diligit*, inquit, *manet in morte*, imo qui virtutes ceteras sine caritate habet, juxta D. Paulum [5], in ordine spirituali nihil est, dum econtra qui diligit Deum, diligitur ab ipso, et qui manet in caritate, in Deo manet et Deus in eo. Unde S. Augustinus merito dicere potuit [6]: " Adde caritatem, prosunt omnia: detrahe caritatem, nihil prosunt cetera."

" Fides et spes, ait Suarez [7], quamvis materialiter, ut sic dicam, ad perfectionem necessariæ sint, nihilominus essentia perfectionis in caritate solâ merito collocatur. Tum quia ipsæmet fides et spes, nisi caritate formentur, nomen perfectionis non merentur, cum mortuæ sint et quasi nihil censeantur... Tum etiam quia fides et spes non sunt *per se* necessariæ ad perfectionem, sed solum *ratione imperfectionis*,

(1) Cfr. n. 446 seq.—(2) I JOAN. IV, 16.— (3) S. BONAV. *Apol. Paup.* cap. III, 2.— (4) I JOAN. III, 14.— (5) I COR. XIII, 1-3.— (6) Serm. 50 de Verb. Dom. c. 2. P. L. t. 38, col. 764 (Serm. 138).— (7) L. c. n. 22.

quæ in homine supponitur in statu viæ: unde non tam propter se, quam propter caritatem postulantur; et ideo sola caritas quasi regina, et essentia perfectionis reputatur. Quamvis negari non possit fidem et spem multo altiori ratione, majorique vinculo, ac necessitate conjungi caritati quam reliquas virtutes, ideoque perfectionem earum non tam accidentalem esse, quam substantialem, et ad essentialem proxime accedere: et posse aliquo modo de integritate censeri."

Attamen licet perfectio vitæ christianæ fidem, spem, ceterasque virtutes requirat, in caritate tamen consistit adhuc

2) PRINCIPALITER.— Etenim S. Paulus [1], post enumerationem reliquarum virtutum, addit: *Super omnia hæc, caritatem habete, quod est vinculum perfectionis.* Et sane caritas reliquis virtutibus dat pulchritudinem, complementum in ordine ad finem ultimum, ac vim merendi. Ergo indubitanter reliquis virtutibus principalior est.

Hanc veritatem etiam ex supra dictis colligere possumus: "Nam, ait Suarez [2], in unaquâque re id est principalius, quod ad ejus essentiam spectat, sed perfectio animæ essentialiter in caritate consistit; ergo ejusdem caritatis perfectio principalius ad ejusdem animæ perfectionem spectat." Hæc caritas, in quâ perfectio essentialiter et principaliter consistit, in se specifice est una, sed respicit

3) DUOS TERMINOS: unum principaliter, *Deum* scilicet; alterum secundario, nempe *proximum*.

Deum diligit ratione sui ipsius, proximum vero ratione ordinationis ipsius ad Deum: quia in eo est Deus, vel ut in eo sit Deus, vel demum ut ipse in Deo sit, et sic quodammodo Deum diligit in proximo. [3]

Et ideo uterque amor, ait Suarez [4], ad perfectionem hujus vitæ necessarius est unusquisque in gradu suo et cum

(1) COL. III, 12-14.— (2) L. c. n. 9.— (3) Cfr. n. 421.— (4) L. c. cap. IV, n. 15.

mutuâ annexione et radicatione in eâdem virtute caritatis Dei. Propterea dictum est ab Apostolo [1]: *Qui diligit proximum, legem implevit.* Et S. Joannes [2] merito dicere potuit: *Scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Non quia dilectio proximi transfert de morte ad vitam, sed quia est certum signum spiritualis vitæ; quia est certum indicium dilectionis Dei, quâcum est per se connexa. Unde dixit Augustinus [3]: "Nemo diligit proximum, nisi diligens Deum."

Confirmatur hoc ex objecto beatitudinis. Creaturæ, visæ in Deo, sunt secundarium objectum beatitudinis, prosequitur Suarez [4], et non computantur in eâ, quæ accidentalia sunt, sed quæ per se censentur connexa cum beatitudine et visione, juxta gradum et modum ejus.

ART. II. — De perfectione accidentali vitæ christianæ.

804. — Omnis perfectio alicujus rei creatæ, vel essentialis est, vel accidentalis. Si ergo in vitâ spirituali, sola caritas ad essentialem perfectionem pertinet, et ceteræ virtutes aliquam etiam perfectionem conferunt, recte concludi videtur, ait Suarez [5], eas solam perfectionem accidentalem addere posse. Hæc tamen accidentalis perfectio, ex consortio aliarum virtutum exsurgens, ad perfectionem vitæ christianæ non tantum utilis, sed et 1) necessaria est et dici debet; licet tamen 2) magnum discrimen adsit caritatem inter et ceteras virtutes.

§ I. — *Necessitas aliarum virtutum.*

805. — Caritas ipsa, Frater, consortium aliarum virtutum requirit,

(1) ROM. XIII, 8. — (2) I JOANN. III, 14. — (3) Epist. 29 apud Suarez l. c. — (4) L. c. cap. IV n. 15. — (5) L. c. n. 17.

a) Ut dispositiones prævia ad caritatis introductionem [1], et hoc sensu Apostolus, ad Galatas [2] scribens, dicit ad salutem necessariam esse fidem, *quæ per caritatem operatur,* utique bona et meritoria opera quæ a fide procedunt.

b) Ut dispositiones ad consequendam perfectionem caritatis: "Aliæ virtutes sunt quasi instrumenta ad removenda impedimenta perfectionis, qualia sunt sollicitudo rerum temporalium, et omnes affectiones inordinatæ, quarum moderatio necessaria est ad perfectionem caritatis, et sic concurrunt ut pura media, vel dispositiones remotæ ad perfectionem [3]."

c) Ut dispositiones ad conservationem, augmentum, fervorem, puritatem caritatis aliasque similes ejusdem perfectiones. Verum etiam cum caritas perfecta jam fuerit adepta, ceteræ virtutes adhuc requiruntur tamquam instrumenta ipsius, id est tamquam facultates proximæ quibus caritas utatur ad perfectos illarum actus exercendos quibus ipsa augetur, magis magisque perficitur et interdum etiam conservatur, quia probatio dilectionis exhibitio est operis. Sane qui diligit, mandata servat; et si perfecta est caritas, etiam consilia et meliora opera exercet cum promptitudine et jucunditate ad quam multum conferunt ceteræ virtutes, licet caritas omnes perficiat [4].

§ II. — *Discrimen caritatem inter et ceteras virtutes quoad perfectionem vitæ christianæ.*

806. — Licet omnes et singulæ virtutes dici possint necessariæ ad perfectionem *simpliciter* habendam, magnum tamen discrimen invenitur, quando virtutes comparantur ad caritatem. "Nam si contingeret, ait Suarez [5], hominem habere caritatem sine aliquâ aliâ virtute, esset solum imperfectus quoad *aliquid accidentale*, et absolute dici posset *essentialiter* perfectus, latiori modo, id est, justus et sanctus. E contrario

(1) Conc. Trid. Sess. VI, *De justif.* c. 6. — (2) V, 6. — (3) SUAREZ l. c. cap. 3. n. 16. — (4) Cfr. SUAREZ, l. c. — (5) l. c. cap. 3. n. 18.

vero, si alias virtutes habeat sine caritate, mortuus est, et nihil est, et non solum imperfectus sed etiam malus simpliciter, et ideo perfectio ab aliis virtutibus proveniens, comparatione caritatis, merito accidentalis appellatur." Quare merito a S. Thomâ [1] præcepta dilectionis Dei et proximi vocantur *principalia*, cetera omnia *secundaria*.

ART. III. — De perfectione totali seu simpliciter dictâ vitæ chistianæ.

807. — Cum perfectio essentialiter in caritate et accidentaliter in ceteris virtutibus consistat, sequitur, Frater, perfectionem totalem vitæ christianæ tam caritatem quam ceteras virtutes requirere. Non sufficit tamen, Frater, ut possessio omnium virtutum habeatur omnibus modis, nam juxta usum jam communem loquendi omnium Patrum Spiritualium, ut aliquis perfectus dici possit, oportet ut disponatur modo perfecto non ad unum vel alterum virtutis opus, nec quidem ad seriem bonorum operum, sed ad continuationem perpetuam meritorum et ad jugem et diligentem exercitationem virtutum; ita ut dicere possimus perfectionem christianam nihil aliud esse quam dispositionem permanentem, quâ homo justus bona opera semper et omni tempore exercere valeat, quâ Deo propter Deum famulari possit, in virtute et sanctitate proficere et ita beatam vitam promereri, cujus gratiâ conditus est.

808. — **Definitio.** — Unde perfectio simpliciter dicta definiri potest: *dispositio permanens* ad modum habitûs acquisita, quâ homo justus omnia præcepta et, si oportuerit, omnia consilia, prompte, constanter et delectabiliter ad placendum Deo per omnia adimplere valeat. Nam, Frater, quamvis caritatem egregiam habeat, si cupiditatibus suis indulget, licet non usque ad peccati mortalis lapsum veniat, si ordi-

(1) 2. 2. q. 189, a. 1 ad 5.

narie peccata venialia non devitat, ut perfectus a nemine habetur.

Habitâ ratione necessitatis ut hanc perfectionem accurate percipias et sic perspicacius materiam tractandam intelligas, naturam hujus perfectionis exponamus necesse est. Unde dicemus 1° in quâ consistat; 2° varia deducemus corollaria ex hâc notione profluentia.

§ I. — *De naturâ perfectionis simpliciter dictæ.*

809. — Perfectio vitæ christianæ simpliciter dicta

1. Constituitur formaliter per modum habitûs, licet tamen 2. actus virtutum requirantur ad eam acquirendam atque conservandam.

I. — CONSTITUITUR: 1. formaliter per modum habitûs; 2. hic habitus tamen non consistit in solâ caritate habituali, sed 3. requirit habitus virtutum acquisitarum, unde 4. dicendum est hanc perfectionem duplex continere elementum: unum in se supernaturale, alterum vero naturale. Quæ omnia per partes exponenda veniunt.

810. — 1° *Perfectio constituitur per modum habitûs.* — Homo enim perfecte vivens in statu viæ, ait Suarez [1], non tendit "ad unum aliquem actum, vel continuam operationem, sed ad virtutes acquirendas, et frenandos affectus et tollenda omnia impedimenta; ita ut homo ad eam dispositionem permanentem et stabilem perveniat, in quâ veluti connaturaliter quibusdam temporibus Deum amet, et aliis alia opera virtutis exerceat, et semper, quantum fragilitas hujus vitæ patitur, minima etiam peccata evitet. Hæc ergo dispositio et status personæ, quasi per modum habitûs permanens, est perfectio vitæ christianæ, de quâ tractamus."

Unde sequitur ut:

811. — 2° *Hic habitus seu dispositio hominis non in solâ ca-*

(1) L. c. cap. 4. n. 5.

ritate habituali etiam intensâ consistat. — Habitus enim caritatis, sicut omnes habitus virtutum infusarum et donorum Spiritûs Sancti, una cum gratiâ sanctificante in animâ justi infunditur et cum eâ intrinsece crescit, et non dat *facilitatem*, sed tantum *potentiam* sub influxu gratiæ operandi [1]. Ergo ut hæc dispositio per modum habitûs habeatur, necesse est ut præter virtutes infusas

812. — 3° *Accedant virtutes naturales.* — Etenim per habitum virtutum naturalium homo disponitur ut prompte, constanter et delectabiliter earum actus ponere valeat, et sic habitui supernaturali, si simul adest, facilitas exercitii accedat, ita ut actus suos elicitos et imperatos exercere valeat, non quidem quia habitus naturalis *intrinsece* virtutem supernaturalem perficit, sed quia obstacula removet quæ actus virtutis supernaturalis impedire solent [2]. Unde vides, Frater,

813. — 4° *In perfectione duplex inveniri elementum*: unum intrinsecum et supernaturale, quo perfectio in seipsâ constituitur, nempe caritas continens gratiam sanctificantem, et ceteras virtutes infusas ac dona Spiritûs Sancti; alterum *extrinsecum* et *naturale*, caritati adjiciens, nempe dispositio permanens per modum habitûs, et ex consortio virtutum acquisitarum exsurgens. Hoc elementum dicitur *naturale*, nam licet hæc dispositio per modum habitûs etiam per actus supernaturales acquiratur, dispositio tamen ipsa *intrinsece* semper naturalis manet [3].

NECESSITAS ACTUUM VIRTUTUM AD ACQUIRENDAM ET CONSERVANDAM PERFECTIONEM. — Licet perfectio formaliter per modum habitûs habeatur, necesse tamen est ut hic habitus, sicuti omnes habitus naturales, secundum legem ordinariam, per actus repetitos acquiratur atque conservetur.

(1) Cfr. n. 452. — (2) Cfr. supra n. 452; etiam Ill. WAFFELAERT: *Prospectus gen. in Theol. myst.* cap. 1. Collationes Brug. t. 16. p. 323. — (3) Cfr. supra n. 452.

Dico secundum *legem ordinariam*, nam Deus etiam hanc dispositionem seu habitum infundere potest, constituendo nempe hominem in dispositione quasi habituali et permanente, ad quam homines perfecti per magnam exercitationem pervenire solent.

§ II. — *Corollaria ex notione perfectionis profluentia.*

814. — Ex notione perfectionis vitæ christianæ varias deducere possumus propositiones, quæ ipsam naturam perfectionis magis illustrant et quas ad sequentes revocamus:

1° *Aliquis potest perfectionem assequi, licet nullum actum valde perfectum elicuerit.*

Etenim homo qui constanter et frequenter seu regulariter et diu actus caritatis et opera perfectionis exercet, etiamsi in singulis actibus non est multum fervens, dispositionem acquiret permanentem per modum habitûs, in quâ formaliter perfectio consistit [1].

815—2° **Sola** *frequentia actuum caritatis aliarumve virtutum, etiamsi hi actus valde perfecti sunt, non constituit perfectionem.*

Cessantibus enim actibus virtutum etiam per physicam tantum interruptionem, ut ait Suarez [2], ut est in somno, homo habet in se perfectionem illam a quâ perfectus denominatur, sicut habet scientiam a quâ sapiens constituitur.

816. — 3° *Nulla certa intensio caritatis habitualis ad perfectionem constituendam est necessaria.* — Contingere enim potest ut aliquis habeat habitus gratiæ et caritatis valde intensos, et non habeat conditiones ad perfectionem requisitas. Etenim multæ personæ timoratæ longo tempore in statu gratiæ vivunt, et communia opera virtutis, ut eleemosynas, jejunia et similia faciunt, et frequenter Sacramenta recipiunt, et nihilominus sine gravi Dei offensione deliciose vivunt, libere loquuntur, uno verbo, non habent mortifica-

(1) Cfr. SUAREZ l. c. cap. 4, n. 5. — (2) L. c. n. 7.

tas passiones, et sæpissime venialia committunt peccata. Has personas nemo dicet perfectas vel perfectionem esse assecutas.

Econtra, aliæ personæ, breviore tempore et sine tanto usu Sacramentorum, majore tamen diligentiâ possunt passiones moderari, et vitare frequentiam venialium, aliaque impedimenta virtutis, et occasionem peccatorum ac defectuum tollere, ac proinde sine tanto augmento intensivo caritatis ad statum perfectorum ascendere. Ergo nullus certus gradus intensionis sufficit, vel necessarius est ad hoc perfectionis genus. Res ita se habet quia hæc perfectio in quâdam convenienti dispositione seu habilitate proximâ ad perfecte operandum juxta Christi præcepta et consilia posita est. Hæc autem bona dispositio cum majore et minore caritatis intensione obtineri et subsistere potest; quia non ex solâ intensione provenit, et licet intensio juvet, quod ex eâ parte defuerit, facile poterit aliunde suppleri [1].

817.—4° Evenire potest ut elementum intrinsecum perfectionis, nempe habitus caritatis, retineatur, et *elementum extrinsecum*, nempe dispositio ad modum habitûs acquisita, amittatur: "Fieri aliquando potest, ait Suarez [2], ut aliquis qui ad gradum perfectorum pervenerat, ab illo cedat, et imperfectus simpliciter fiat, etiamsi mortaliter non peccet, et consequenter eamdem gratiam sine diminutione, aut remissione retineat. Quia sine peccato mortali caritas perdi non potest, nec per venialia peccata aut imperfecta opera remittitur [3]."

Econtra ad cadendum a statu perfectionis sufficere potest frequentia peccatorum venialium voluntaria, cum nimiâ indulgentiâ in propriorum affectuum vel voluptatum prosecutione citra culpam gravem, et nimiam remissionem, vel omissionem perfectorum actuum virtutis.

818.—5° Unde *fieri potest ut quis simul sit sanctior et imper-*

(1) SUAREZ. l. c. n. 10, 11.—(2) L. c. n. 12.— (3) Cfr. supra n. 452.

fectior alio perfectiore, et ad majorem beatitudinem perveniat.— Etenim vera sanctitas apud Deum et jus ad æternam beatitudinem attenditur secundum gradus caritatis et gratiæ; perfectio autem hujus vitæ attenditur secundum affectum et dispositionem hominis ad operandum in hâc vitâ, cum promptitudine, facilitate, ac vitæ puritate [1].

CONCLUSIO.— Hanc perfectionis vitæ christianæ notionem sedulo meditare, Frater, nam ut S. Franciscus Salesius [2] optime dicit: " Unusquisque devotionem, id est perfectionem, pro affectu et phantasiâ suâ depingit. Qui jejuniis addictus est, se devotum putabit, si jejunat, licet cor ejus cum odio et inimicitiâ conflictetur. Alius se devotum dicet, si multas quotidie orationes legit, quamvis verba morosa, arrogantia et injuriosa effutiat. Omnes hi vulgo devoti ac perfecti habentur, et credunt homines illos vere devotos et spirituales esse, cum revera nonnisi simulacra et phantasmata perfectionis sint. Vera et viva devotio, addit idem Sanctus, *amorem Dei præsupponit*, imo aliud nihil est, quam verus amor Dei, non tamen qualiscumque amor. Nam in quantum amor divinus animam nostram cohonestat et venustat, dicitur gratia, quia divinæ Majestati acceptos gratosque nos reddit; in quantum vero vires ad benefaciendum nobis confert, vocatur caritas; verum cum jam ad perfectionis gradum pertingit, ut nos non solum benefacere, verum etiam sollicite, diligenter, frequenter prompteque operari faciat, tum demum devotionis (perfectionis) nomine appellatur. "

CAPUT II.

DE GRADIBUS PERFECTIONIS VITÆ CHRISTIANÆ.

819.— Ex naturâ perfectionis vitæ christianæ clare apparet, Frater, duo necessario esse attendenda ad profectum

(1) SUAREZ, l. c. n. 12.— (2) Introd. P. I, cap. I.

hujus vitæ stabiliendum, nempe ipsa caritas et persona caritatem habens.

Ex parte caritatis ut perfectio vitæ christianæ habeatur, requiritur, et quidem essentialiter, *habitus caritatis.*

Ex parte autem caritatem habentis, necesse est, ut habeatur dispositio permanens ad modum habitûs acquisita, ut prompte, constanter et delectabiliter omnia præcepta, et si oportuerit, consilia observare valeat.

Videndum nunc est quid jam non ad perfectionem, sed ad plenitudinem perfectionis vitæ christianæ requiratur.

Ut hæc accuratius percipias, dicemus 1) quid intrinsece ex parte caritatis et 2) quid extrinsece ex parte caritatem habentis necesse sit ut hæc plenitudo habeatur, et quinam sint ejusdem plenitudinis varii gradus.

ART. I. — Requisita intrinsece ex parte caritatis ut plenitudo perfectionis vitæ christianæ habeatur, et ejusdem plenitudinis varii gradus.

820.— 1) REQUISITA.— Ex parte caritatis, perfecta dici potest vita christiana, quando *Deus*, objectum primarium, et *proximus*, objectum secundarium caritatis, tantum diliguntur quantum diligi possunt.

821.— A) **Plenitudo seu totalitas quoad dilectionem Dei** considerari potest tripliciter: ex parte dilectionis, ex parte Dei et ex parte diligentis.

Ex parte dilectionis, nulla creatura Deum totaliter diligere potest.

Ex parte vero *Dei et diligentis*, homo Deum totaliter diligere potest et de facto Deum sic diligit:

1° Quando habitualiter cor suum in Deum ponit, ita scilicet ut nihil cogitet, vel velit quod divinæ dilectioni sit contrarium.

Qui Deum sic diligit, dicitur habere *caritatem communem.*

2° Perfectius tamen Deum totaliter diligit homo, quando studium suum præcipuum deputat ad vacandum Deo ita ut non tam habitualiter quam actualiter, pro viribus Deo vacet. Qui Deum sic diligit, dicitur habere *caritatem non communem.*

3° Demum Deum totaliter et quidem perfectissimo modo diligit homo, quando actualiter et semper, omnique conatu in Deum fertur. Hæc caritas non est viæ, sed patriæ, et vocatur *caritas cœlestis.*

Vi præcepti divini, homo tenetur ad caritatem communem appretiative summam, licet tamen Dominus monitis suis omnes exhortetur ad caritatem non communem.

Unde sequitur, Frater, ex parte caritatis plenitudinem vitæ christianæ adesse quando homo Deum caritate non communi habitualiter diligit.

2) Gradus perfectionis.— Ex supradictis necessario sequitur in hâc caritate varios inveniri perfectionis gradus, uti antea vidimus [1]. Et licet gradus supremus assignari nequeat, gradum tamen infimum determinare possumus [2]. Inter gradum infimum et supremum varii inveniuntur gradus intermedii, qui tamen omnes ad caritatem *incipientis,* vel *proficientis,* vel *perfecti* reduci possunt [3].

Vi præcepti divini, cujus plena adimpletio in terrâ haberi nequit [4], omnes christiani tenentur aliqualiter facere quidquid boni possunt ut Deum magis diligant, ita ut nulla caritas, etiam cœlestis, cadat sub consilio, sed sub præcepto [5].

B) **Plenitudo seu totalitas quoad dilectionem proximi.**

822.— 1) Requisita.—Circa dilectionem proximi duplex plenitudo seu totalitas attendi potest: una sine quâ caritas proximi esse non potest, et proinde *communis* est omnibus caritatem habentibus; altera vero quæ cadit sub consilio, et *non communis* est omnibus caritatem habentibus.

(1) Cfr. n. 398.—(2) Cfr. n. 399.—(3) Cfr. n. 401.—(4) Cfr. n. 399.—(5) Cfr. n. 399.

2) GRADUS PERFECTIONIS. — Dilectio proximi, sicut dilectio Dei, secundum suam perfectionem intrinsecam tripliciter considerari potest: nempe secundum dilectionis *extensionem*, *intensionem* et *effectum*, et sic ei varii assignari possunt perfectionis gradus [1].

Hi tamen gradus, sub quocumque respectu considerati, etiam ad tres reduci possunt, scilicet ad caritatem *incipientis*, *proficientis et perfecti*.

Etenim si caritatem habens præcipuum suum studium ponit in eo ut *contraria* dilectioni proximi evitet, caritas ejus erit *incipientis*.

Si autem maxime studet ut secundum præceptum Domini etiam in minimis rebus omnia bona in proximo impendat, caritas ejus erit *proficientis*.

Tandem, si jam non præceptum, sed consilia dilectionem proximi respicientia observat, caritas ejus venit ad terminum et erit *perfecti*.

ART. II. — Requisita extrinsece ex parte caritatem habentis ut plenitudo vitæ christianæ habeatur, et ejusdem plenitudinis varii gradus.

823. — 1) REQUISITA. — Ex parte caritatem habentis, extrinsece tunc plenitudo vitæ christianæ habetur, quando homo per dispositionem permanentem ad modum habitûs acquisitam, perfectiori modo ad perfectiorem caritatem tam Dei quam proximi ordinatur. At cum præcepta ordinentur ad caritatem communem, consilia autem ad caritatem non communem, necessario sequitur, ut homo per observationem consiliorum ad perfectiorem caritatem disponatur. Ad hæc accuratius intelligenda, sciendum est, Frater, omnia præcepta alia a præcepto caritatis, et omnia consilia, et per

(1) Cfr. n. 400 seq.

consequens omnes virtutes, ad caritatem ordinari, aliter tamen atque aliter.

Præcepta quidem ordinantur ad caritatem ut removeant ea sine quibus caritas vel in infimo gradu esse nequit. Qui enim præcepta non observat, gratiam santificantem amittit ac proinde caritatis opera præstare non potest.

Consilia vero ordinantur ad caritatem ut removeant impedimenta quæ libertatem, continuationem et intensitatem actûs caritatis impediunt. Hæc impedimenta non sunt caritati *in se* contraria, caritas enim non tollitur si quis juxta rationem matrimonio et rebus temporalibus utitur. Consilia sunt ergo *in se* instrumenta eximia quibus plenior dilectio haberi potest; et producunt in homine qui ea servat nobilissimas dispositiones ad hoc ut perfectius Deo vacet eique inhæreat [1].

Unde, si caritatem habens, dispositionem acquirit permanentem, ut quoad dilectionem Dei et dilectionem proximi, ultra præcepta etiam prompte consilia observet, dicere possumus talem hominem plenitudinem perfectionis extrinsece vitæ christianæ habere.

824. — 2) Gradus. — Gradus qui in hâc perfectione extrinsecâ inveniuntur, tam pro dilectione Dei quam proximi, ad tres reduci possunt, nempe prout caritatem habens per observationem mandatorum vel consiliorum ad caritatem vel incipientis, vel proficientis, vel perfecti, habitualiter et tali modo disponitur, ut hæ diversæ caritates in statu stabili maneant, et aptæ reddantur ad perfectum usum suæ perfectionis et operationis.

Etenim si homo dispositionem habitualem acquirit ut prompte omnia mandata servare queat, contraria caritati eo ipso tolluntur, et caritas in statu stabili collocatur et aptus redditur ad peccata vitanda.

Cum hæc dispositio ordinetur ad infimum caritatis gra-

(1) Cfr. S. Thom. 2. 2. q. 184, a. 3.

dum, nempe ad eum sine quo caritas haberi nequit, hæc dispositio necessario est *incipientis.*

Sed hæc dispositio per observationem mandatorum ita perfecte caritatis contraria tollere potest ut caritas habitualiter apta reddatur ad aliis virtutibus imperandum, et tunc hæc dispositio jam non est incipientis, sed *proficientis.* Jam enim magis ad terminum, scilicet Deum, appropinquat.

Demum homo dispositionem habitualem acquirere potest ut prompte non tantum mandata, sed insuper consilia observare possit. Et cum observatione consiliorum tolluntur non solum omnia caritati contraria, sed et omnes defectus qui fervorem ejus impedire possunt; caritas habitualiter apta redditur ut Deo fruatur et proximo omnia officia præstet prout viatori possibile est. Et hæc dispositio est *perfecti,* siquidem pervenit ad terminum præfixum.

Juxta hos tres gradus personarum quæ in perfectione vitæ christianæ vivere et sese perficere student, tres viæ distingui solent per quas incedendum est ut quis ad finem suum supernaturalem pertingere valeat, et de quibus nunc fusius est agendum.

CAPUT III.

DE TRIBUS VITÆ CHRISTIANÆ VIIS.

825. — Tres viæ quæ in perfectione vitæ christianæ inveniri possunt, communiter vocantur: via purgativa, illuminativa et unitiva.

Unaquæque via est veluti acies actuum et affectuum quos omnes Deus in ordinem redigit ut justus ab unâ virtute in aliam progrediatur, ascendendo de virtute in virtutem, donec pervenit ad arcem Sion, ubi Deus per contemplationem et amorem intimius possidetur.

826. — Via purgativa. — Prima via dicitur *purgativa,* quia homo a Deo adjutus, laborat ut se a vitiis purificet.

827. — **Via illuminativa.** — Secunda dicitur *illuminativa*, quia in illâ, anima jam illustratur et capax fit ad res divinas intelligendas juxta verba Domini [1]: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Per exercitia enim viæ purgativæ abjecit opera tenebrarum et, ut Apostolus [2] ait, induit *arma lucis*, ut in die honeste ambulet.

Virilitas est contra pusillanimitatem quæ animum dejicit [4]. Absque ullo humano respectu, posthabito omni emolumento vel damno, homo, secundum regulam divinæ voluntatis, sese exterius ostendere tenetur ut interius sese habet in oculis Domini.

Veritas est "contra hypocrisim quæ homines fallit [5]". Humilitas enim consistit, non in eo quod homo mala et miserias, quæ non habet, sibi inesse fingit; nulla enim virtus falsis et fictis ideis innititur, sed in verâ sui ipsius scientiâ, quâ homo sese cognoscens prout revera in se ipso est, et prout coram Deo apparet, sese etiam exterius coram aliis demonstrat.

Honestas est "contra stoliditatem, quæ homines dehones-

(1) L. c.— (2) S. BONAV. l. c. — (3) Ibid. — (4) S. BONAV. l. c.— (5) S. BONAV. l. c.

tat et stultizare (i. e. insanire) facit [1]." Hæc humilitatis exterioris conditio apparet ex eo, Frater, quod humilitas, ut omnes virtutes morales, medium habet rationis, medium nempe inter pusillanimitatem et arrogantiam. Unde declinare debet a stoliditate, quâ homo inepte, ultra regulas sanæ rationis agit.

864.— *c)* "*Fructus* autem hujus humiliationis est, quia valet ad humilitatem *acquirendam*, ad *exercendam* et ad *perficiendam* [2]." Etenim, vilificatio sui exterior, modo rite fiat. hunc triplicem fructum affert. "Humilitas ad quam utique ducit humiliatio, totius est fabricæ spiritualis fundamentum, siquidem humiliatio via est ad humilitatem, sicut patientia ad pacem, sicut lectio ad scientiam. Si virtutem humilitatis appetis, viam non refugias humiliationis. Nam si non potes humiliari, non poteris ad humilitatem provehi." Hanc autem humiliationem vocat *sui ipsius vilificationem*, unde et subdit: "*Ludam et vilior fiam* [3]; ludam scilicet ut illudar. Bonus ludus qui hominibus quidem ridiculum, sed angelis spectaculum præbet; bonus, inquam, ludus, in quo efficimur *opprobrium abundantibus, et despectio superbis* [4]. Hoc casto et religioso ludo ludebat, qui dicebat [5]: *Spectaculum facti sumus mundo, et angelis, et hominibus.* Hoc ludo etiam nos interim ludamus, ut illudamur et confundamur et humiliemur, donec veniat qui potentes deponit et exaltat humiles [6], qui nos lætificet, exaltet et glorificet in æternum [7]."

Uti vides, Frater, seipsum humiliare et vilificare pro Christo opus est virtutis perfectæ, et proinde rectæ rationi et veritati consonans.

865.— 4° CONSONANTIA VILIFICATIONIS SUI CUM INSTINCTU NATURÆ, RECTÂ RATIONE ET VERITATE.

---

(1) S. BONAVENTURA, l. c.—(2) S. BONAVENTURA, l. c.— (3) II REG. VI, 22.— (4) PS. CXXII, 4.— (5) I COR. IV, 9.— (6) LUC. I, 52.— (7) S. BERN. Epist. 87, ad Ogerum. n. 12, apud S. Bonav. l. c. cfr. P. L. t. 182. col. 217.

1) *Vilificatio sui naturæ consonat* — Nam licet species actûs humilitatis, qui est vilificatio sui, dissonare videatur ab instinctu naturæ, quæ naturaliter appetit promoveri et non dejici, secundum tamen veritatem et intrinsecam rationem vilificatio sui ipsi naturæ consonat. Nam naturæ consonat defectus suos agnoscere, et omnia quæ ad naturam spectant conservare atque suscipere influentiam a naturâ superiori, cui se subjicit ut ab illâ possit compleri. At hæc omnia per vilificationem sui intenduntur.

a) Humilis enim sese pro Christo vilificando *defectum* suum tantum *recognoscit*, nam natura omnis ex eo quod de nihilo est, defectum aliquem in se habet et defectivam se clamat.

b) Humilis, *si sese conservare vult*, tenetur expellere id omne quod dispersionem inducit. At, sese exterius humiliando, spiritum inflationis et superbiæ tanquam dispersivum a se repellit.

c) Humilis sese vilificando, suam imbecillitatem tantum recognoscit, et a Deo impetrare intendit quod suis viribus attingere nequit. Nihil igitur agit humilis contra dictamen naturæ [1] neque etiam contra rectam rationem.

866. — 2. *Vilificatio sui rectæ rationi consonat.* Sunt qui putent, Frater, humiliationem et vilificationem sui mensuram rectæ rationis excedere. Certe, uti jam diximus, mensura rationis in virtute humilitatis sicuti et in aliis virtutibus observanda est. Sciendum tamen est in virtutibus moralibus, quæ ordinantur ad curandos morbos naturæ lapsæ, medium rationis inveniri declinando in alterum extremum, sicut per simile videri potest in iis "qui ligna distorta dirigunt" [2]; "qui scilicet ea, dum dirigere volunt, in partem oppositam torquent, quo facto ligna ad medium reducuntur [3]." — "Et quia morbus corrumpens genus humanum

(1) Cfr. S. BONAVENT. l. c. passim. — (2) ARIST. Lib. 2. *Ethic.* cap. ult. apud S. Bonavent. l. c. Op. t. V. p. 123. — (3) S. BONAVENT. l. c. nota Ed.

maxime est superbiæ et arrogantiæ fastus, et medicativum debet esse per contrarium, ideo declinando ad alterum extremum reducit ad medium." [1]

867.— 3. *Vilificatio sui etiam veritati est consentanea.* Sæpissime evenit ut homines erronee actus Sanctorum dijudicent, quum dicunt eos, ut Seraphicum Patrem, qui se vilissimum reputabat et se ardentissime contemnebat [2], ultra veritatem egisse. Sed longe errant, Frater; homo enim sub diversis aspectibus considerari potest, scilicet: ut *imago Dei*, ut *creatura Dei* et ut *adversarius Dei*.

Ut imago Dei, ad ejus similitudinem conditus et per gratiam ad divinæ naturæ consortium elevatus, homo habet aliquid deiformitatis, et hâc ratione ceteris creaturis inferioribus et peccatoribus est *præponendus*.

Ut creatura Dei, homo necessario habet aliquid defectibilitatis respectu Dei, et hâc ratione aliis hominibus est *æquiparandus*.

Ut adversarius Dei, ratione vitiorum, homo habet aliquid deformitatis cum Deo, et hoc motivo debet se vilem reputare, "non ad contumeliam, sed ad honorem Dei, cum auferatur honor solum per deformitatem vitii et peccati." [3] At S. Bonaventura [4] docet: "Ipsa veritas legis divinæ dictat, quod unusquisque de se ipso magis quam de alio debet humiliora sentire. Unde sicut unusquisque magis sentit morbum proprium afflictivum naturaliter quam alienum, sic unusquisque certius et proximius et frequentius recogitare debet suum defectum, et ob hoc se debet reputare aliis viliorem, non quia certus sit, se esse talem, sed quia magis certus est de suâ quam de alienâ vanitate vel vilitate. Ideo, sicut dicitur in glossâ ad Philippenses secundo [5]: *In humilitate superiores sibi invicem arbitrantes*, "non hoc ita debemus æstimare. ut nos æstimare fingamus,

(1) S. Bonav. l. c. ad 3.—(2) Cfr. Celano. o. c. p. 55.—(3) S. Bonav. l. c. ad 5.— (4) L. c. ad 4.— (5) V. 3.

sed vere æstimemus, posse esse aliquid occultum in alio, quo nobis superior sit, etiam si bonum nostrum, quo illo videmur superiores, non sit occultum." Et sic apparet quod vilificatio sui non fundatur supra falsum; sed super verum, secundum scilicet *experimentalem* cognitionem defectûs proprii, quam quilibet homo respectu alterius quasi singulariter habet; sicut et quilibet justus respectu alterius aliquam singularem excellentiam habet, ratione cujus in laude sancti Confessoris dicitur [1]: *Non est inventus similis illi.*"

Ex supra de naturâ humilitatis dictis jam videre potes, Frater:

868.— 5° DIFFERENTIAM INTER SERVUM DEI HUMILITATEM SECTANTEM ET MANCIPIUM DIABOLI SUPERBIÂ REPLETUM.

Homo humilitatem colens mentem suam inter limites suos continet, itaque nec plus nimio se dimittit per pusillanimitatem spiritûs, nec nimis se erigit per arrogantiam et elationem animi, sed rectitudinem servat juxta dictamen rectæ rationis et propriam mensuram quam a Deo accepisse cognoscit.

Erectus est a terrenis, et per intentionem ac affectum semper elevatur in cœlestia, sed sub Deo, illi omnino submissus, illiusque legis jugum hilariter portans.

Hic agendi modus a variis signis dignosci potest, quorum nobis sufficit, duo sequentia tantummodo recensere:

Primum signum: cor humilis erectum est ad Deum sed flexibile; nam licet rectâ intentione semper tendat in Deum, facile tamen flectitur ad ejus imperium et divinæ subjicitur voluntati. Erectum est cor humilis ut sublimia et cœlestia videat et appetat, nec dignatur respicere infima et vilia, ut ea sibi adscribat vel assumat.

Flectitur cor humilis ut propriam aspiciat vilitatem, sive quam per culpam contraxit, sicut S. Paulus, cum dicebat [2]: *Non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum*

(1) ECCLI. XLIV, 20.— (2) I COR. XV, 9.

Ecclesiam Dei; sive quam ex suâ habet origine, sicut Abraham cum aiebat [1]: *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis.* Et sic facile dignoscitur ab homine superbo. Cor superbi, ut dixit Job [2], semper *contra* Deum est erectum, et simul durum, inflexibilisque cervicis. Non solum sese opponit divinæ excellentiæ, sed et resistit ejus voluntati et legi.

Alterum signum. — Evenire potest, Frater, ut aliquando vir rectus, fortis et humilis, vehemente passione vel tentatione subito ingruente misere peccet, sicut lapsus est David in adulterium et homicidium, ac in elationem animi cum populum numeravit. Ast, hoc casu, non cadit animo, sed sicut David, ad primam vocem increpantis et monentis conscientiæ, suam agnoscit culpam, humiliter sed viriliter ad Deum redit, malefacta corrigens, et per humilem pœnitentiam amissam recuperat rectitudinem, et adhuc fortior in viâ virtutis esse incipit. Non agit sicut Saül superbus: hic collo extenso, duro, inflexibili, contumace in suâ permansit inobedientiâ, nolens Samuelis monitis acquiescere, sic irreparabiliter corruens et periens.

869. — B) **De humilitatis modis seu gradibus.** — Humilitas, sicuti aliæ virtutes, plures perfectionis gradus habere potest. Sancti Patres rectius et enucleatius naturam humilitatis declarantes, plurimos humilitatis modos seu gradus enumerant, ait Alphonsus Rodericius [3]. "S. Benedictus (quem D. Thomas et alii sequuntur) constituit duodecim; S. Anselmus septem; S. Bonaventura vero omnes reducit ad tres; et hunc nos hic sequemur, idque majoris brevitatis

(1) GEN. XVIII, 27. — (2) XV, 26.

(3) *Exercitium perfectionis et virtutum christianarum.* Coloniæ Aggripinæ, 1657. P. 2. Tr. 3, cap. 5, n. 5. citantur: S. Benedictus, Reg. cap. VII. P. L. t. 66. col. 371. seq.; S. Thomas. 2. 2. q. 161. a. 6; S. Anselmus. Lib. de similitudinibus, cap. 100 seq. P. L. t. 159. col. 665 seq.; S. Bonav. seu potius David ab Augusta. L. c. Lib. III. c. 38. p. 247 seq.

causâ, atque ut doctrina hæc, ad pauciora reducta præcepta et puncta, comprehendatur facilius memoriâ, ad eam deinde reipsa exequendam."

Hæc autem doctrina a Sancto Ignatio claro modo traditur in suo libro Exercitiorum [1].

"PRIMUS MODUS humilitatis est necessarius *ad salutem* æternam, scilicet, quod ita me demittam et ita me humiliem, quantum possim, ut in omnibus obediam legi Dei Domini nostri, adeo ut, etiamsi me constituerent dominum omnium rerum creatarum in hoc mundo, vel pro (conservandâ) propriâ vitâ temporali, non veniam (non inducar) in deliberationem transgrediendi mandatum aliquod, sive divinum, sive humanum, quod me obliget sub peccato mortali.

SECUNDUS MODUS. — "Secunda est perfectior humilitas quam prima, scilicet, si ego in tali me (constitutum) puncto inveniam, ut non velim, neque afficiar magis ad habendum divitias quam paupertatem, ad cupiendum honorem quam ignominiam, ad desiderandam vitam longam quam brevem, ubi æquale fuerit servitium Dei Domini nostri, et salus animæ meæ (æqualis): itemque, ut nec pro omnibus rebus creatis, neque eo quod mihi vitam auferrent, in deliberationem veniam committendi aliquod veniale peccatum.

TERTIUS MODUS. — "Tertia est humilitas perfectissima, scilicet, quando includendo primam et secundam, ubi æqualis fuerit laus et gloria divinæ Majestatis, ad imitandum (magis) Christum Dominum nostrum, atque ei magis actu similis fiam, volo et eligo magis paupertatem cum Christo paupere, quam divitias; opprobria cum Christo pleno opprobriis, quam honores; et magis desidero æstimari vanus (insipiens, inutilis) et stultus pro Christo, qui prior habitus

(1) 2 Hebd. de tribus humilitatis modis, p. 108 seq. Edit. Roothaan. 1865.

fuit pro tali, quam (æstimari) sapiens ac prudens in hoc mundo."

P. Roothaan [1] hos tres humilitatis modos exemplo illustrat quod nobis differentiam specificam inter utrumque modum clarius indicat: "Læsus sit aliquis graviter in fortunis suis vel in honore:

Primo humilitatis modo — nollet ullo pacto jus suum vindicare, si absque peccato mortali id consequi non possit.

Secundo humilitatis modo — neque veniale volet committere, ut jus suum prosequeretur.

Ubi vero possit illud vindicare *absque ullo peccato;*

Tertio humilitatis modo — damna sua lucra putabit in Christo; infamiam, honorem; nec vindicabit, sed tacens et gaudens in Domino feret, *dummodo gloria Dei æqualis sit,* id est dummodo nec officii ratio, neque ulla alia obligatio, neque alia justa consideratio postulet ut jus suum prosequatur. — Talis obligatio, si existat, jam *non erit æqualis gloria Dei;* itaque defendet se legitime, nec propterea violabit propositum *tertii modi humilitatis,* sancta hæc sensa servans in corde suo, animumque ita dispositum gerens, ut, si forte, ut non rare accidit, justa defensio effectu careat, non modo patienter ferat, sed *duplici* honore se dignatum in Christo et cum Christo gratuletur.

NOTA. — Ceterum, ut hoc obiter moneam, primus et secundus humilitatis modi perfectam complectuntur *indifferentiam,* et carnis, sensuum et amoris proprii ac mundani *rebellionis* impugnationem omnimodam supponunt; tertius hic neque *indifferentiâ* neque impugnatione *rebellionis* contentus est, sed omnino in omnibus *agere contra* naturæ inclinationem docet, idque *pure ob majorem Christi imitationem ac similitudinem*; itaque castissimum continet amorem Christi regis; et in hoc amore totus fundatur."

Uno verbo, ut Seraphicus Doctor docet, primus modus

(1) P. ROOTHAAN. Ibid. p. 109.

fit secundum legem divini *præcepti*, secundus secundum legem divini *complaciti*, tertius secundum legem divini *consilii*.

Si hæc de naturâ et gradibus humilitatis dicta rite intelligis, Frater, facilius videbis hanc præclarissimam virtutem fundamentum esse totius perfectionis christianæ.

870. — C) **De humilitate ut fundamento totius perfectionis christianæ.** — Modus quo humilitas fundamentum est totius perfectionis christianæ, optimo modo a S. Bonaventurâ traditur: "Totius enim christianæ perfectionis summa, inquit [1], versatur circa tria, scilicet circa *gratiam*, *justitiam* et *sapientiam*, secundum quæ tria Christus dicitur *via*, *veritas* et *vita* [2]." Etenim vita evangelica requirit reformationem veteris hominis, requirit nempe ut homini a Deo largiatur donum, quo, destructo peccato, elevetur ad statum Deo gratum seu supernaturalem, in quo actus meritorios elicere valeat ad finem suum ultimum assequendum. Hoc donum autem donum est *gratiæ*.

"Donum gratiæ viam præbet ad veritatem justitiæ," ait Seraphicus Doctor [3]. Homo enim Deo gratus debet sua cuique tribuere, quod spectat ad justitiam. Aliis verbis, per virtutum exercitationem, seu veram justitiam colendo, debet sese Christo conformare. "Veritas justitiæ perducit ad gustum sapientiæ, in quâ consistit solatium contemplationis [4]." Homo enim Deo gratus et perfecte justitiam excolens, Deum perfectissimo modo cognoscere atque amare debet. At Deum tali modo cognoscere ad sapientiam spectat. At, "est humilitas ostium sapientiæ, fundamentum justitiæ et habitaculum gratiæ." Unde gratia, justitia et sapientia "perfecte adeptis, ad culmen conscenditur evangelicæ perfectionis, quam verbo et exemplo docuit Christus Jesus [5]."

---

(1) L. c. Quæst. 1. concl. Op. t. V. p. 120. — (2) JOANN. XIV, 6. — (3) L. c. — (4) S. BONAV. l. c. — (5) S. BONAV. l. c.

871. — 1° ***Humilitas habitaculum gratiæ.***

Audi, Frater, quomodo Seraphicus Doctor [1] hanc suam exponat doctrinam: "Gratia facit hominem Deo gratum; gratus autem est Deo qui cognoscit divinæ dignationis et condescensionis donum; nullus autem hoc cognoscit nisi circumspector suæ indignitatis; et talis est vere humilis; et hinc est quod gratia Spiritûs Sancti super solos humiles requiescit." Seraphico consentit Angelicus Doctor: [2] "Humilitas primum locum tenet, in quantum scilicet expellit superbiam cui Deus resistit, et præbet hominem subditum et patulum *ad suscipiendum influxum divinæ gratiæ*, in quantum evacuat inflationem superbiæ. Unde dicitur [3] quod *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*, et secundum hoc humilitas dicitur spiritualis ædificii fundamentum." Etenim: *Ad quem autem respiciam*, ait Dominus apud Isaiam, *nisi ad pauperculum et contrito spiritu*, id est humilem. Quare merito S. Augustinus dicit: [4] "Ad hoc peccata magnorum virorum scripta sunt, ut Apostolica illa sententia ubique timenda sit [5]: *Quapropter qui videtur stare, videat ne cadat.* Nulla enim pagina sanctorum librorum est, in quâ non sonet: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* [6]."

872. — 2° ***Humilitas fundamentum justitiæ.***

Humilitatem fundamentum esse justitiæ sequenti modo a Seraphico Doctore clare stabilitur [7]: "Justitia est reddere unicuique quod suum est, tam Deo quam sibi ac proximo. Deo autem principaliter debetur honor et reverentia, et ad hoc reddendum præcipue disponit humilitas, secundum illud Ecclesiastici tertio [8]: *Quam magna potentia Dei solius et ab humilibus honoratur.* Quoniam ergo initium totius justitiæ est cultus et honor divinus, et hic exhibetur Deo ab humilibus; hinc est, quod totius justitiæ radix et fundamen-

(1) L. c. p. 121. — (2) 2. 2. q. 161, a. 5, ad 2. — (3) I Petr. v, 5. (4) Lib. 3 *de doctrin. Christ.* cap. 23, n. 33, apud S. Bonavent. l. c. cfr. P. L. t. 34. col. 78. — (5) I Cor. x, 12. — (6) Jac. iv, 6; I Petr. v, 5. — (7) S. Bonav. l. c. — (8) iii, 21: *quoniam magna.*

tum est humilitas." Quare merito S. Bernardus affirmare potest [1]: "Virtutum bonum quoddam et stabile fundamentum, humilitas. Si nutet illa, virtutum aggregatio nonnisi ruina est. — Pretiosissimus fundus virtus est. Bonus fundus humilitas, in quo omne ædificium spirituale constructum crescit in templum sanctum in Domino."

Concludamus ergo cum S. Gregorio M.: [2] "Qui sine humilitate virtutes congregat, in ventum pulverem portat. Totum ruinæ crescit quod ædificas, si ante molem fabricæ humilitatis fundamenta non procuras."

873. — 3° ***Humilitas ostium sapientiæ.***

"Sapientia est, inquit S. Bonaventura [3], cognitio causarum altissimarum et primarum [4]" non tantum per modum cognitionis speculativæ, verum etiam saporativæ et experimentalis. Quoniam ergo omnia, quæcumque facta sunt, ab uno principio manant et de nihilo sunt producta; ille vere sapiens est, qui veraciter recognoscit suam et aliorum nihilitatem et primi principii sublimitatem. Unde orat Augustinus in secundo libro Soliloquiorum [5]: "Noverim me, noverim te." Nullus autem pervenit ad plenam notitiam Dei, nisi per veram notitiam sui et rectam; nec recte seipsum cognoscit qui suam ipsius nihilitatem non attendit; *nam qui se existimat aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit,* ut dicit Apostolus ad Galatas ultimo [6].

Sui autem nihilitatem cognoscere, hoc est se ipsum humiliare; est ergo humilitas *ostium sapientiæ.* Merito ergo dicit Sapiens [7]: *Ubi autem est humilitas, ibi et sapientia.* Hoc autem maxime apparet in hominibus ad perfectionem vitæ spiritualis provectis: Judicant enim practice melius de Deo et de rebus ad Deum spectantibus quam doctores nominati hujus sæculi;

(1) *De consid.* P. L. t. 182, col. 806, et 750 Lib. 5. cap. 14. et Lib. II. cap. 6. — (2) Homil. 7 in Evang. n. 4. P. L. t. 76, col. 1103. — (3) L. c. p. 120. — (4) Secundum Arist. 1 *Metaph.* c. 1 sq. — (5) Cap. I n. 1. P. L. t. 32, col. 885. — (6) V. 3 *nam si quis existimat se aliquid* etc. — (7) PROV. XI. 2.

nam "veritas quæ superbis absconditur, humilibus revelatur," ait S. Bernardus [1], juxta verbum Domini [2]: *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis.* Dominus dicit, inquit S. Augustinus [3], "*abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus;* et non dixit: Revelasti ea stultis et imprudentibus: sed ait: *abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis*... Qui sunt parvuli? Humiles... Nomine sapientium et prudentium superbos intelligi ipse exposuit cum ait: *Revelasti ea parvulis.*"

CONCLUSIO: — Cum humilitas sit habitaculum gratiæ, fundamentum justitiæ, ostium sapientiæ, dicere possumus eam esse totius perfectionis christianæ fundamentum. Et cum S. Augustino [4] addere licet: "Non aliam tibi ad capessendam et obtinendam veritatem viam munias, quam quæ munita est ab illo qui gressuum nostrorum tamquam Deus vidit infirmitatem. Ea *est* autem *prima, humilitas; secunda, humilitas; tertia, humilitas:* et quoties interrogares, hoc dicerem: non quo alia non sint præcepta, quæ dicantur, sed nisi humilitas omnia quæcumque bene facimus et præcesserit et comitetur et consecuta fuerit, et proposita quam intueamur, et apposita cui adhæreamus, et imposita qua reprimamur, jam nobis de aliquo bono facto gaudentibus totum extorquet de manu *superbia.* Vitia quippe cetera in peccatis, superbia vero etiam in recte factis timenda est, ne illa quæ laudabiliter facta sunt, ipsius laudis cupiditate amittantur." Unde maxime interest ut media addiscas humilitatem colendi.

874.— D. De mediis humilitatem acquirendi.

Seraphicus Bonaventura in suo opusculo *de Perfectione*

(1) *De grad. humil.* cap. 1 n. 1 P. L. t. 182, col. 942. — (2) MATTH. XI, 25. — (3) Serm. 67 cap. 5. n. 8. P. L. t. 38, col. 436.—(4) P. L. t. 33, col, 442. Epist. 118, n. 22. ad Dioscorum.

vitæ ad Sorores [1], nos optime instruit de modo humilitatem acquirendi. "Si ad perfectam humilitatem vis pervenire, inquit, oportet te per triplicem semitam incedere... Prima semita est *consideratio Dei*..., secunda *rememoratio Christi*..., tertia *circumspectio tui*."

875.— *a)* DE CONSIDERATIONE DEI.— "Si igitur, ait Seraphicus Doctor [2], ad humilitatem vis pervenire, debes considerare Deum ut auctorem omnium bonorum; quia omnium bonorum est auctor." Omnis homo Deum considerans, simul videt seipsum omnino pendere ab illo, et sine ipso nihil esse, nihilque operari posse; quidquid boni habet, ab illo promanare, et quamvis magnum in se, Deo tamen comparatum ipsi quasi nihil esse. Quapropter Psalmista [3] ait: *Et substantia mea tanquam nihilum ante te, verumtamen universa vanitas, omnis homo vivens;* quia nullam homo vitam, nec animalem, nec spiritualem, nec supernaturalem habet a semetipso, sed a Deo, et unusquisque sibi dicere debet [4]: *Omnia opera nostra operatus es nobis, Domine.* Ex se, Frater, homo est quid vanum et inane sicut ipsum nihilum, et in nihilum tenderet, imo in peccatum, quod ipso nihilo est pejus, nisi a Deo præservaretur. "Talis consideratio, ait S. Bonaventura, [5] destruit totam superbiam eorum qui dicunt [6]: *Manus nostra excelsa et non Dominus fecit hæc omnia.* Hæc superbia exclusit Luciferum a cœli gloriâ. Non considerabat Lucifer se de nihilo factum, sed potius aspiciebat suum decorem, suam pulchritudinem... et extulit eum superbia cordis sui, et quia *superbum sequitur humilitas*, ideo statim dejectus est de sede nobilitatis suæ in locum extremæ vilitatis, et qui prius fuerat inter angelos excellentissimus, factus est inter dæmones miserrimus."

Homo igitur recordatus Domini Dei sui, actus humilitatis eliciet, seipsum interius et exterius vilificando.

---

(1) Edit. ad Claras Aquas, cap. 2. n. 2. seq.— (2) L. c. n. 2.— (3) Ps. XXXVIII, 6.— (4) Is. XXVI, 12.— (5) L. c.— (6) DEUT. XXXII, 27.

1) Deum considerans, se nihilum coram ipso facit, de propriis viribus diffidit, indignum omni bono se reputat et dignum omni pœnâ et ignominiâ. Verecundatur coram Deo, instar publicani desiderat a longe stare percutiendo pectus suum, et novissimum sibi eligendo locum, tanquam omnium peccatorum maximo. Dein, ut P. David ab Augusta docet: [1]

2) Deum tanquam Dominum et judicem agnoscens, ei in omnibus obedit, et si peccaverit, curat ut cito et digne pœniteat et satisfaciat et emendet.

3) Si a Domino flagellatur, flagella humiliter tolerat, et non remurmurat correptus, sed justum ejus judicium commendat et se correptione dignum agnoscit: *iram Domini portabo*, ait [2], *quoniam peccavi ei.*

4) De Dei beneficiis non extollitur, sed agnoscit quod non pro merito nostro, sed pro suâ bonitate *dilexit nos* [3] pure, et elegit nos, et vocavit nos, et justificat et magnificat. [4]

Uno verbo Deum considerando, homo acquirit humilitatem; nam anima Deum vere cognoscens, Deo soli innititur et sic sursum petit, et ascendit super altitudinem nubium, cœlos ipsos penetrat et coram ipso Deo gratiam invenit.

876. — *b)* De rememoratione Christi. — "*Secunda semita est rememoratio Christi.*" [5] Una ex præcipuis causis, Frater, cur hodie tot christiani, imo et religiosi, ultra primum humilitatis gradum non ascendant, neglectio est humilitatis Christi. Christus enim verbo et exemplo nos humilitatem docuit. Perlege Evangelium, et quocumque perspicies, hanc Christi doctrinam de necessitate vilificationis sui ipsius invenies. Non verbis tantum, sed et exemplo nos Dominus ad humilitatem sectandam stimulat. *Semetipsum exinanivit*, ait Apostolus [6]. "Sed semetipsum exina-

(1) O. c. p. 246 seq.— (2) Mich. vii, 9.— (3) Rom. viii, 37.— (4) Ephes. i, 4; Rom. viii, 30.—(5) S. Bonav. *Perf. vit.* l. c. n. 4.—(6) Phil. ii, 7.

nire, nihil aliud est, quam seipsum vilificare: si igitur Christum in hoc debemus imitari, exinanitio et vilificatio convenit evangelicæ perfectioni." [1] Etenim quæ necessitas fuit ut sic exinaniret, sic humiliaret, sic abbreviaret se Deus majestatis, inquit S. Bernardus [2], nisi ut vos similiter faciatis? Jam clamat exemplo, quod prædicaturus erat verbo; et non sine causâ addit: "Intolerabilis impudentiæ est ut, ubi se exinanivit Majestas, vermiculus infletur et intumescat." Christi igitur memor, christianus, sed præsertim religiosus, persuasum sibi habet absque humilitate se Christo placere non posse. "Frustra appellamur christiani, inquit S. Leo Magnus [3], si imitatores non simus Christi, qui ideo se viam dixit esse, ut conversatio Magistri sit forma discipulis, et illam humilitatem eligat servus, quam sectatus est Dominus." Unde servus Dei

1.— Sese vilificat et sese servum facit aliorum, juxta doctrinam Domini [4]: *Qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus.* Et quamvis sese ut servus aliorum humiliaverit, non tamen se glorificat; memor enim est verbi Domini [5]: *Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: servi inutiles sumus.* Et hæc humilitas sese probat per suam vilificationem etiam in oculis aliorum. Nam, inquit Seraphicus Doctor [6]: "Qui recte aliquid dicit, vult sibi credi, et credit verum esse quod dicit; ergo ad hoc quod aliquis sit perfectus discipulus Christi, necesse est, quod se vilem reputet et quod talis velit ab aliis reputari." Dein

2.— Servus Dei ad culmen perfectionis aspirans, necessarie sese perfectissimo modo conformare desiderat exemplari omnium virtutum, Christo Jesu. At Christus in cruce per suam humilitatem et vilificationem exemplar fuit virtutis perfectæ [7]. Unde rememorans Christum, ad ejus imitatio-

(1) S. BONAV. Quæst. disp. *De perf. evang.* q. 1. n. 6. Op. t. V, p. 117. — (2) Serm. 1. In Nat. Dni. *De fontibus Salvat.* n. 1. P. L. t. 183, col. 115. — (3) Serm. 25 c. 6, P. L. t. 54. col. 212. — (4) MATTH. XX, 27. — (5) LUC. XVII, 10.— (6) Quæst. disp. q, 1 fund. 3. l. c. p. 117.— (7) Cfr. S. BONAV. quæst. disput. l. c.

nem anhelat: omnis vilificatio ei jam non amara, sed dulcis apparet; præfert, ut Seraphicus Pater [1], "de se vituperium audire quam laudem."

Imo totis viribus cupit pati et contemni pro Christo.

877. — *c)* CIRCUMSPECTIO SUI. — "Tertia semita per quam debes incedere, si vis ad perfectam humilitatem pervenire, ait S. Bonaventura [2], est circumspectio tui. Tunc te... circumspicis, quando recogitas, *unde veneris*, aut *quo vadis*."

Considera igitur: 1) *Unde veneris?* Si ad *corpus* respicis: de pulvere et limo terræ; si ad *animam* respicis, est quidem de Deo, sed tamen in suâ generatione peccato originali infecta.

Homo vilem suam originem in memoriam reducens, spiritum tumoris abjicit, inquit S. Bonaventura [3], et tantum excludit ut clamare incipiat cum tribus pueris apud Danielem [4]: *Sumus hodie humiles in universâ terrâ propter peccata nostra.*

Dein quando se laudibus et favoribus videt cumulatum, consideratio suæ originis cohibet omnem arrogantiam. Nihil igitur utilius, maxime quando Deus nos ad aliquam evehit dignitatem, quam vilem suam stirpem in memoriam revocare.

2) Considera etiam, Frater, *quo tendas?* Tendis in incinerationem, sicut scriptum est: *Pulvis es, et in pulverem reverteris.* "Quid igitur superbis, terra et cinis, inquit Seraphicus Doctor sanctimonialem feminam alloquens. Si hodie es, cras non eris; si hodie sana, cras infirmaberis forte; si hodie sapiens, cras forte stulta eris; si hodie dives in virtutibus, cras forte mendica eris et misera." Quare merito, Frater, homo comparari potest fumo, Cum cernitur fumus, aliquid esse videtur. Cum manus apponitur et palpatur, nihil invenitur; sic magnum quid apparet homo, sed substantia ejus tanquam nihilum ante Deum. Vidi impium elevatum

(1) CELANO, o. c. p. 275. — (2) *Perf. vit.* n. 5, l. c. — (3) *Perf. vitæ*, l. c. n. 5. — (4) I, 57.

et ascendentem sicut fumum: *Transivi et ecce non erat; quæsivi et non est inventus locus ejus, nam inimici Domini, mox ut honorificati fuerint et exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficient* [1]. Homo circumspector sui ipsius verissimâ cognitione sui sibimetipsi vilescit et virtutem humilitatis acquirit, et tunc fumus fit, odoratissimus et fragrantissimus, non ex naturâ fumi, sed ex gratiâ Christi et virtute humilitatis illi superadditâ.

CONCLUSIO.— Nihil enim est in hâc vitâ fragrantius quam vita hominis qui seipsum vere cognoscit.—*Pro seipso* nihil sibi attribuit, potius appetit contemni et vilifieri; humiles habet mores et gestus, verba humilia et responsa, sese exercet in humilibus operibus in quibus apparet vilitas, et quæ alii horrent et despiciunt, ut sordes purgare, rusticalia opera facere et vestibus humilioribus contentum esse et cibis et aliis similibus [2].—*Ad proximum* autem, si sunt æquales, eos meliores sibi reputat, numquam eos despicit neque judicat, sed magis eos exaltat et facta eorum extollit, si bona sunt, et mala abscondit, non ficte sed pure, imo patienter eorum infirmitates tolerat et læsiones sustinet, ita ut in omni veritate dicere possit [3]: *Ego autem cum mihi molesti essent, humiliabam animam meam.*— Si proximi sunt superiores, adimplet jussiones eorum, quasi vicariorum Dei.—Si sunt inferiores et ipse subditorum rector, est quasi unus ex illis communis in victu, vestitu et labore; non putat se sanctiorem aliis vel sapientiorem vel digniorem, sed viliorem et obligatiorem in reddendâ ratione pro se et pro aliis [4].

Ad Deum vero vir humilis, si peccat, prompte recurrit ut digne pœnitere et sese emendare possit.— Si Deus flagellat, non murmurat, sed correptione dignum se agnoscit; si autem Deus ei beneficia affert, Domino gratias refert, sed nihil de bonis ejus sibi adscribit, cum Psalmistâ [5] dicens: *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.*

(1) Ps. XXXVI, 36.— (2) DAVID AB AUGUST. o. c. p. 245.— (3) Ps. XXXIV, 13.— (4) DAVID AB AUGUSTA, o. c. p. 245, 246.—(5) Ps. CXIII, 1.

Uti vides, Frater, per humilitatem homo non solum statum gratiæ stabilitat, sed ad Deum maxime appropinquat, imo capax fit ut sese perfectissimo modo Deo uniat.

Art. III. — De viâ unitivâ.

878.— Tertius perfectionis gradus, qui est perfectorum, comparatur fini sive quieti in termino. Anima enim munda a peccato, adjuvantibus lumine et auxiliis a Deo acceptis, et virtutibus ad praxim perductis, sese cum Deo quam perfectissime devincit, cum eo sancte ambulat, et quantum potest Adæ filius, in istâ ex peccato maledictâ terrâ exsulans, ejus possessione fruitur in lætitiâ.

Magni momenti est, Frater, ut naturam hujus viæ quam diligentissime examines: sæpe enim sat obscure hæc materia in libris spiritualibus tractatur.

Elementa viæ unitivæ: 1) *Elementum intrinsecum* et *formale* hujus viæ, sicuti et viæ purgativæ et illuminativæ, est ipsa caritas. In viâ tamen unitivâ hæc caritas est *caritas non communis*, ita ut unio cum Deo magis sit *actualis* quam habitualis.

2) *Elementum* autem *extrinsecum et instrumentale* viæ unitivæ est ultra præceptorum, etiam consiliorum constans observatio, ita ut caritatem habens, per praxim præceptorum et consiliorum, ita habitualiter sit dispositus, ut animum a temporalibus omnibus habeat abstractum, pace fruatur, et a variis desideriis non agitetur, nec passionibus ordinarie moveatur, sed in Deum sit totus principaliter intentus, aut semper attentus.

Uti vides, Frater, in viâ unitivâ duo præsertim inveniuntur exercitia præstanda: 1) *observatio* perfecta non tantum præceptorum, sed et consiliorum; 2) *intentio et attentio* ad Deum, ita ut unio ad Deum quasi actualis habeatur. De his nunc agendum.

§ 1. — *De observatione consiliorum.*

879. — Magna invenitur differentia, præceptorum inter et consiliorum observationem. "Præceptum importat necessitatem, docet S. Thomas [1], consilium autem in optione ponitur ejus cui datur." Deus pro suâ benignitate noluit a nobis exigere omnia quæ jure potuisset, vel etiam nos facere poteramus. Sed dedit nobis legem suavem quam et facere, et cui aliquid superaddere possemus. Legem adimplemus per præcepta, legi aliquid addimus per consilia. Si igitur consideramus legem nobis positam, possumus plus facere quam exigit, atque adeo adimplere ea quæ consulit. Sic, Frater, servus quidquid est, domini est, et quidquid facit, in domini utilitatem facit, non tamen omnia facit ex debito: potest enim aliquid sibi subtrahere ex somno, et ex tempore ad corporis refectionem concesso, ut tunc domino suo aliquid agat: quo casu plus aget quam tenetur [2].

Examines igitur omnino necesse est 1) naturam consiliorum, et 2) quænam consiliorum observantia requiratur ut homo in viâ unitivâ esse dici possit. Inde 3) comperies submissionem hominis voluntati divinæ argumentum esse viæ unitivæ.

I. — De naturâ consiliorum.

880. — **Quid est?** — Consilium est opus bonum a Deo non imperatum, sed demonstratum et commendatum; cui si fit, magna debetur remuneratio; si non fit, nulla pœna [3].

Quotuplex est? — Consilia duplicis sunt generis: alia vocantur *generalia*, alia vero *particularia*.

881. — *a)* CONSILIA GENERALIA illa dicuntur quæ juvant plurimum *ad omnia genera virtutum* et ad liberandum animum a curis et sollicitudinibus, quæ et pericula peccandi

(1) 1. 2. q. 108, a. 4.—(2) Cfr. SYLV. in 1. 2 q. 108 ad 3.—(3) SYLVIUS in 1. 2. q. 108, a. 4.

afferunt, et Deo vacare impediunt. Sunt igitur universalia instrumenta ad perfectionem acquirendam.

QUOT SUNT? — Hæc consilia, juxta unanimem consensum omnium S. S. Patrum, numerantur tria: consilium *paupertatis voluntariæ, castitatis* et *obedientiæ*. Etenim, omnes res quæ motum caritatis ad Deum impediunt, ad tria possunt revocari genera, ut clare docet S. Thomas [1]: "Bona hujus mundi, quæ pertinent ad usum humanæ vitæ, in tribus consistunt; scilicet in *divitiis exteriorum bonorum*, quæ pertinent ad concupiscentiam oculorum; et in *deliciis carnis*, quæ pertinent ad *concupiscentiam carnis;* et in *honoribus*, quæ pertinent ad *superbiam vitæ*." Hæc omnia relinquere consilium est Domini Salvatoris, consulentis paupertatem [2]: *Vade, vende quæ habes, et da pauperibus;* et perpetuam continentiam: [3] *qui potest capere capiat;* ac rursum: *qui reliquerit patrem, aut matrem, aut uxorem* etc. *centuplum accipiet* [4]; obedientiam [5], verbis illis: *Sequere me* [6].

Hæc tria per antonomasiam *consilia evangelica*, vel *consilia* simpliciter vocari solent.

His addi poterit *consilium vovendi* hæc tria Deo. Nam hoc consilium nullo modo præscribitur, seu cadit sub præceptum. Et si quis modum vivendi secundum consilia evangelica per votum stabilem reddit, hoc votum medium erit aptissimum ad unionem cum Deo perfectissimo modo operandum.

882. — *b)* CONSILIA PARTICULARIA. — Particulare consilium illud est quod *de aliquo opere solum*, propter suam ipsius honestatem datur et aliis minus bonis præfertur [7].

Ad hæc accuratius intelligendum, scias necesse est, Frater, varia inveniri posse consilia, in omnibus præceptis tam affirmativis quam negativis.

1) Etenim *præcepta affirmativa* illa sunt quæ referuntur

(1) 1. 2. q. 108, a. 4. — (2) MATTH. XIX, 21. — (3) Ibid. v. 12. — (4) v. 29. — (5) Ibid. — (6) Ibid. 21. — (7) SUAREZ, *De Relig.* tr. VII, l. 1. c. 8. n. 2.

ad actum bonum eumque ponendum. Hæc vero præcepta obligant semper, sed non quocumque tempore : actus enim bonus semper præceptus est, at non quovis momento, sed solum tempore statuto exerceri debet. Et sic *ratione circumstantiarum,* consilia in iis inveniri possunt ; v. g.

Ratione temporis. — Si opus certo tempore præceptum, non in eo tantum, sed in aliis voluntarie fit : ut audire missam extra diem festum, vel jejunare extra obligationis tempora, consilium est.

Ratione quantitatis : ut si quis præcepto eleemosynæ obligatus, majorem facit quam tenetur.

Ratione modi, si ferventius, vel propter finem altiorem quam tenetur, opus facit.

Et hoc in quâlibet materiâ virtutis locum habet [1].

2) *Præcepta negativa,* illa sunt quæ referuntur ad actum malum eumque omittendum. Licet actus malus, quem prohibet præceptum negativum, quovis tempore omittendus sit, possunt tamen in his præceptis consilia inveniri : non quidem quantum ad non faciendum malum, hoc enim semper est in præcepto, sed quantum *ad media adhibenda ad cavendum malum.* Ut cum quis jejunat propter comprimendam libidinem.

CONCLUSIO. — Ex prædictis sequitur 1° *consilia generalia esse simpliciter consilia :* per se et absolute consuluntur et non præcipiuntur. Eorum materia est omnino extra præceptum. Virginitas enim seu abstinentia ab omni libidine ; paupertas et voluntatis propriæ renuntiatio, nullibi a Deo præscribitur. Licet enim Dominus apud S. Lucam [2] dicat : *Omnis qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus,* et hæc verba ad omnes prorsus christifideles spectent, sciendum est, Frater, hæc et hujus generis verba accipi debere *quoad præparationem animi,* ut sensus sit : " Qui non est paratus omnia sua relinquere

(1) Cfr. SUAREZ l. c.—(2) XIV, 33.

potius quam Christum negare, vel aliter Deum offendere mortaliter, non potest esse Christi discipulus [1]."

2° *Consilia autem particularia non sunt simpliciter consilia, sed respective et secundum quid.*

"Ordinarie versantur in materiis præceptorum vel gravium, vel saltem levium, et solum ratione circumstantiarum sub consilium cadunt. Et ideo etiam tunc non simpliciter consuluntur, sed *per comparationem et respectum ad actus vel omissiones actuum minus bonas.* Ut v. g. consulitur actus studii respectu otiositatis, vel si aliquid melius tunc operandum non sit, non tamen simpliciter, nisi in casu, in quo obedientia, vel alia virtus excellentior v. g. caritas, illud exigat. Et sic oratio consulitur per comparationem ad actionem generatim loquendo; in particulari tamen non semper consulitur, nisi sub conditione, si aliud opus non magis expediat, quod per orationem impediretur [2]."

II. — De necessitate consiliorum ad perfectionem in viâ unitivâ acquirendam.

883. — In viâ unitivâ caritas, uti diximus, in Deum magis actualiter quam habitualiter feratur omnino necesse est. At, ad hunc scopum attingendum requiruntur 1. ut media ordinaria tria consilia evangelica, 2. minime vero omnia consilia particularia.

884. — 1° ***Consilia evangelica juxta legem ordinariam requiruntur ut instrumenta ad perfectionem viæ unitivæ.***

Etenim homo inter ea quæ pertinent ad hujus vitæ usum, et inter bona spiritualia constitutus, quanto plus inhæret unis eorum, tanto plus recedit ab aliis; a spiritualibus igitur bonis *totaliter* excedit qui bonis istis mundanis *toto animo afficitur,* in iis constituens ultimum suum finem. Qui solum iis *utitur,* non autem tamquam summo bono fruitur; is potest quidem spiritualibus bonis sic inhærere ut *ad salutem*

(1) Sylv. l. c.— (2) Suarez, l. c. n. 5.

perveniat; sed *multo arctius* illis spiritualibus bonis inhærebit, promptiusque salutem suam operabitur, si res hujus mundi prorsus abdicet [1]." Nam caritas non tam habitualiter quam actualiter Deo adhærebit, et caritati patriæ magis appropinquabit. Bona autem hujus mundi, quæ pertinent ad usum humanæ vitæ, uti vidimus [2], in tribus consistunt, scilicet in *divitiis*, in *deliciis carnis*, in *honoribus*. " Hæc autem tria totaliter derelinquere, ait S. Thomas [3], secundum quod possibile est, pertinet ad consilia evangelica."

Unde concludere possumus, Frater, tria consilia evangelica esse tria instrumenta *ordinaria*, ad perfectionem viæ unitivæ operandam.

Dico ordinaria, et non omnino necessaria. — Audi quid de hâc quæstione docet Ill. Waffelaert. De impedimentis perfectionis tractans ait [4]: " Hæc impedimenta removentur per observationem consiliorum evangelicorum, quæ idcirco ad statum exteriorem perfectionis seu statum religionis pertinet; sed et removeri possunt aliâ viâ, puta æquivalenter et *affectu* eadem consilia sequendo, pro iis qui in statu exteriore vitæ, in quo positi sunt, re et facto eadem exsequi nequeunt; aut quocumque tandem modo *affectum caritatis totaliter dirigendo in Deum*, quod quidem ne fiat, nihil, si volumus, prohibere potest. Semper enim valemus mandata servare modo magis magisque perfecto, puta ex caritate in Deum, eaque actu in finem caritatis dirigendo.

885. — 2° ***Observatio omnium consiliorum particularium ad perfectionem viæ unitivæ non requiritur.***

Hominem ad summam perfectionem viæ unitivæ tendentem, minime necesse habere omnibus uti consiliis particularibus, nemo est qui non videt. Consilia enim particularia sæpe sibi invicem contrariantur in eodem subjecto: qui sequens consilium Domini sibi eligit vitam mere contempla-

(1) SYLV. in 1. 2. q. 108, a. 4.— (2) Cfr. n. 881.— (3) 1. 2. q. 108, a. 4. —(4) *Prospectus generalis in theologiam mysticam seu manuductio ad praxim unionis contemplativæ cum Deo.* Coll. Brug. t. 16, p. 327, 328.

tivam, alia consilia, opera misericordiæ erga proximum spectantia, eo ipso exsequi non valet. Dein ad aliquem finem attingendum non omnia adhibenda sunt media, sed ea tantum ad prædeterminatum scopum magis conducentia. Medicus enim in sanando infirmo non omnibus utitur medicamentis, sed iis tantum quæ ad repellendum morbum utilia judicat. Et sicut nimia coacervatio medicamentorum impedimento esse potest sanitati, ita consiliorum perfectioni acquirendæ.

Oportet igitur, ut homo in viâ unitivâ, præter consilia evangelica, ea eligat consilia particularia quæ suum statum maxime decent, cum præparatione animi ita se gerendi in aliis, si voluntas Dei manifestatur.

III. — De submissione hominis perfecti voluntati divinæ.

886. — Cum perfectio viæ unitivæ instrumentaliter in perfectâ præceptorum et consiliorum observatione consistat, et cum hæc observatio nihil aliud sit quam perfecta voluntatis divinæ adimpletio, necessario sequitur hanc submissionem præcipuum argumentum esse ad practice judicandum utrum quis jam hanc adeptus sit perfectionem annon.

Submissio igitur animæ perfectæ habetur ut fundamentum et finis viæ unitivæ. Anima perfecta ad exemplar divini nostri Magistri dicere potest: *Non mea voluntas, sed tua fiat.*

Signa autem hujusce sui abnegationis duplicis sunt speciei: 1. *simplicitas* scilicet et 2. *spiritûs libertas.*

887. — 1) Simplicitas, quæ nihil aliud est quam intentionis puritas respective ad Dei honorem. *Deus solus* seu *Deus meus et omnia!* En, Frater, nobilis scopus animæ perfectæ. Sola attenditur Dei voluntas et honor, et hanc ob rationem in viâ unitivâ seu perfectâ, homines tuti sunt a quibuscumque politicis rebus et hæsitantiis et dubitationi-

bus. Impavidos et immobiles eos feriunt judicia hominum. Nihil eorum interest, sive de honore, sive de dedecore agitur, dummodo sanctam Dei adimpleant voluntatem.

888.— 2) SPIRITÛS LIBERTAS, quæ mediam accurate viam occupat inter contemptum et servitutem legis, inter morum licentiam et pharizaismum: Hæc est libertas non per legem, sed in lege et supra legem. Aliis verbis, perfecti attendunt ad mentem legislatoris, qui est Deus, non autem ad litteram quæ occidit. Sanctis enim hoc principium inest: *Nulla res potens est supplere Deum.*

Hæc sancta libertas notam nobis facit mirabilem sanctorum vivendi formam. Etenim, quando inconsiderate eorum actiones contemplamur, vix eorum valemus vitæ rationem intelligere. Videmus enim S. Hilarionem et mille alios in corpore horrenda gestantes cilicia, et anxie a nobis quærimus quænam forte in hisce adesse possent ineptiæ, præsertim dum alios conspicimus magis sibi et aliis faciles, qui uti S. Philippus Nerius et S. Teresia odio habebant qualemcumque sive confusionem exteriorem sive fœditatem præsertim in vestibus. Sed, Frater, Sanctorum intelligeremus agendi modum si, sicuti illi, eâdem naturæ et indolis libertate frueremur, eâdemque in judicando mentis soliditate et perspicaciâ, aliis verbis, si postquam pervenissemus in viam unitivam. eâdem sanctâ libertate frueremur, tunc perciperemus intelligentes nonnulla in vitâ christianâ adesse quæ semper sunt observanda, alia quæ admiranda, sed quæ interdum ab illo momento observanda, quo manifesta facta est Dei voluntas.

§ II.— *De intentione et attentione ad Deum.*

889. — Homo, quando supremum attingit perfectionis gradum viæ, valedicit, uti aiunt Patres spirituales, vitæ activæ, initiumque capit vitæ contemplativæ et mysticæ.

Dicemus igitur 1) de naturâ vitæ contemplativæ; 2) de

contemplatione ut de actu proprio hujus vitæ; 3) de probationibus vitæ contemplativæ ac demum 4) de quæstione utrum annon hæc vita sit appetenda.

I.— De naturâ vitæ contemplativæ.

890.— **Activa** ea dicitur vita hominum justorum, qui proxime conantur appropinquare ad Deum, eoque perfrui per exercitia vitæ purgativæ et illuminativæ.

Contemplativa autem ea accipitur vita fidelium animarum quæ suis refrænatis passionibus, consuetudineque jam obtentâ, omnia ex rectâ intentione peragendi, coram Deo ut plurimum ambulant, ejusque præsentiâ perfruuntur, ac coram eo quam perfectissimo modo satagunt omnes virtutis actus exsequi et adimplere. Ob hanc ergo rationem affirmare potuit P. David ab Augusta [1], intentionem omnino puram ipsam esse vitæ activæ derelictionem ac ingressionem in vitam contemplativam. "Sine illâ, inquit [2], frustra speratur puritas contemplationis vel stabilitas, sicut aqua fontis non erit pura, quamdiu fundus non est ab injectis sordibus emundatus."

891.— **Quotuplex est?** — Vita autem contemplativa alia est ordinaria, alia vero extraordinaria, prout Spiritus S. in ordine ad divinam præsentiam, mentem hominis movet secundum communem Providentiæ ordinem, vel per dona gratis data seu charismata. [3] Vita contemplativa, maxime quando est extraordinaria, vocatur etiam mystica.

892.— **Vita contemplativa non est status.**

Sciendum tamen est, Frater, vitam contemplativam et mysticam non esse statum aliquem, seu conditionem permanentem, in quo homo firmiter permanet, et semper actualiter Deo fruitur. Fruitio Dei præsentiæ est aliquid transiens ac fluens. Igitur in vitâ contemplativâ, anima

(1) O. c. p. 220.— (2) L. c.— (3) Cfr. n. 682 seq.

consuetudinem acquirit Deum præsentem cernendi, ipsis sub Dei oculis operibus vacat et ad ipsum spirat, sed Deum continuo præsentem non cernit, licet ejus anima ita habitualiter composita sit, ut quolibet tempore parata sit commercium cum Deo instituere eique adventanti obviam ire, et ipse ex minimâ occasione Deus in mentem revocetur.

893.— Unus e præcipuis effectibus vitæ contemplativæ est æstus ad Deum.

In tertio perfectionis gradu anima tanto affectu æstuat ad Deum ut suspiret hoc desiderio: dissolvi et *esse cum Christo.* [1] "Talibus, ait David ab Augusta, [2] est *vivere* in patientiâ, vel potius in fastidio, et *mors* in ardenti desiderio, etiam per dura tormenta. Hoc desiderium fecit... gloriosos martyres gaudere in tribulationibus et inimicos persequentes diligere, a quibus ad desiderata gaudia velocius adipiscenda promovebantur... Nihil est quod talium valeat æstum exstinguere desiderii, quamdiu non datur eis copia de fonte vitæ pro libitu potari, cujus siti mirabiliter cruciantur. Tribus tamen interim utcumque refocillantur guttulis consolationum spiritualium, scilicet *internæ suavitatis recreatione in mente;* item, *sacramentali corporis Christi perceptione,* quæ devotis solet esse singulare solatium pro revelando hujus exsilii tædio, quia, etsi non manifeste tunc, tamen vere et salutifere ipsum, quem amant, suscipiunt Dominum Jesum Christum; item, *spiritualis fructûs multiplicatione,* in quo et animarum profectum et Dei honorem sentientes, exsilii sui molestias tolerabilius sustinent spe lucrorum Dei.

II.— De contemplatione in viâ unitivâ.

894.— Ex dictis jam sequitur, Frater, contemplationem Dei proprie ad perfectos spectare. "Contemplatio enim, ait Suarez [3], est aut perfecta unio cum Deo per amorem,

(1) PHILIPP. I, 23.— (2) O. c. p. 230, 231.— (3) *De relig.* Tract. IV L. 2. cap. 11, n. 1.

vel est perfectissima Dei intuitio, quæ in hâc vitâ esse potest, utraque vero est propria perfectorum."

De contemplatione jam sermonem instituimus tractando de oratione mentali; oportet igitur ut hanc materiam iterum sedulo relegas atque examines. Sufficit in præsenti ut tibi paucis verbis explicemus quo sensu contemplationem ad perfectos spectare dicitur.

895.— *Quo sensu contemplatio ad perfectos spectat.*

Quamvis verum sit, Frater, contemplationem proprie ad perfectos spectare, "nihilominus (hæc doctrina) aliquâ limitatione ac declaratione indiget; quia nec contemplatio ita est virorum perfectorum propria, ut in eis solis omnino inveniatur; nec etiam ita est finis vitæ perfectæ, ut non possit et debeat esse medium ad perfectionem acquirendam [1]."

Contemplatio in aliis præter viros perfectos invenitur.— Confer quid de hâc doctrinâ supra dixerimus [2].

896.— *Contemplatio non est medium omnino ad perfectionem necessarium.*— Viri perfecti proprium est, Frater, uti vidimus, in affectibus erga Deum occupari, et pace et tranquillitate animi cum spirituali gaudio perfrui, ideoque aptus est contemplationem exercere non quasi per occasionem et in transitu, sicut imperfectus, sed per se et quasi ex habitu.

Addendum tamen est, docet Suarez [3], contemplationem "non esse ita propriam ut conveniat omnibus; non enim omnibus viris perfectis datur, ut gradu illo contemplationis fruantur; quod interdum contingit ex divinâ dispositione pertinente ad ejus occulta judicia; aliquando etiam provenit ex dispositione subjecti, quia non omnes ad contemplationem apti sunt, vel propter mentis tarditatem, vel propter nimiam naturæ inquietudinem et celerem mutabilitatem, et quamvis divina gratia superare possit naturalem subjecti incapacitatem, ordinarie vero illi se accommodat, et ideo in hujusmodi

(1) Suarez, l. c. n. 2.— (2) Cfr. n. 147 seq.— (3) L. c. n. 9.

contemplationis usu ratio etiam naturalis complexionis et capacitatis habenda est."

Licet aliquando homo perfectus ob peculiares et supra allatas rationes *habitum* contemplationis acquirere nequeat, impossibile tamen videtur illum, ratione habitâ nobilium ejusdem dispositionum, saltem aliquoties contemplationi activæ non vacare.

III. — De probationibus vitæ contemplativæ.

897.— De probationibus et purificationibus activis, de iis nempe quas homo per seipsum adhibere tenetur ut dono contemplationis frui possit, jam antea sermonem habuimus.

Sed adsunt et aliæ quæ vocantur passivæ, eæ nempe quæ a Deo, vel ipso permittente, a creaturis immittuntur. Noli arbitrari, Frater, animabus quæ ad vitam contemplativam aspirant, vel etiam jam in viâ perfectionis ambulant, difficultates obvias non esse. Omnibus ad unum et perfectis et iis qui hanc viam intrant, occurrunt interdum experimenta terribilia, tentationesque horrificæ, quæ Deus aut ad gloriam suam permittit, aut etiam ut magis progrediantur et perfectiores fiant illæ animæ quæ sunt bonæ voluntatis.

DUPLEX PURGATIO PASSIVA.— Una est partis sensitivæ, altera vero partis intellectivæ

898.— Quid sensitiva?— Probatio passiva et sensitiva illa est, quam homo in parte sensitivâ experitur, et quæ illi immediate a Deo, vel a creaturis, Deo permittente, infligitur. Hæ probationes esse possunt: jactura bonorum, famæ, amicorum et cognatorum, vel tentationes carnis aliæve corporales afflictiones

899.— Quid intellectiva?— Probatio passiva intellectiva illa est quæ in parte rationali accidit, Deo volente et efficiente immediate, vel permittente, multa incommoda, quæ turbant, et multum affligunt hominem. Intra has probationes numerantur sequentes: privatio illuminationum; ten-

tationes contra fidem, tentationes reprobationis, scrupuli, tentationes blasphemiæ, devotionis carentia, difficultas bene operandi, fastidium in oratione, impatientia in Deum, etc., De his probationibus præcipue tractant auctores mystici qui consulendi sunt[1].

IV.— Utrum necne vita contemplativa est appetenda.

900.— Huc accedit sponte suâpte naturâ quæstio: utrum necne sine temeritatis notâ ad vitam contemplativam aspirare possumus.

Antequam respondemus, recordare, Frater, quæ de oratione dixerimus. *Aliquali* enim *modo* nexus subsistit inter singulos caritatis et orationis gradus. Sic ergo homo qui Deum amare incipit, totum se addicere debet meditandis veritatibus, quæ in ipso omnimodam aversionem a peccato stimulent; et, dum in caritate progressus efficit, ea potissimum meditari debet quæ magis eum incitent ad excolendas et exercendas virtutes, vitam scilicet et passionem divini Magistri nostri.

In supremo autem caritatis gradu constitutus incumbere potissimum debet ad contemplandum Deum, et ad ea omnia quæ apta sunt concitare corda nostra ut in omnibus Dei sanctam et adorandam adimpleamus voluntatem.

His distis, memor esto, Frater, quæ de contemplatione et oratione dixerimus, et propositæ quæstioni responsum ipso facto explanatur. Etenim alia adest activa et alia passiva seu infusa contemplatio. Contemplationi autem infusæ aliquando a Deo largiuntur varia charismata, ut sunt splendor vultûs in subjecto contemplante, lacrymæ copiosæ, etc.

Cum autem infusa sanctitatem *per se* non indicet, ac homo, ratione habitâ ejusdem infirmitatis et superbiæ, sæpius experiatur erroribus se teneri et vanis imaginibus, quando somniat se ad instar sanctorum gratiis cumulari, prudentiæ

(1) Auctores citati in notra Bibliographia, ut Card. de Laurea, etc.

consentaneum est ad eam *per se* non aspirare, imo potius ab eâ aufugere, ne ludibrio habeatur a diabolo, aut a suâ naturâ debilitatâ et infirmâ decipiatur [1].

Ast contemplationem activam, cum ex eâ corda nostra exardescant amore, sedulo quærere debemus, fiducialiter interea confidentes fore ut Deus eam nobis non deneget. Porro aspirare ad supremum caritatis gradum, licitum esse, nemo est qui non videt; ergo etiam ad exercenda ea officia *per se* huic gradui propria.

CONCLUSIO.— Via unitiva, tertius perfectionis gradus, uti vides, Frater, sequentibus verbis comprehendi potest: "Conformata consummare per perfectam sancti Evangelii observationem."

(1) Cfr. n. 150, et notæ n. 147.

LIBER SECUNDUS.

De Statu Perfectionis.

901.— Naturâ statûs et perfectionis vitæ christianæ declaratâ, jam Frater, ipsum perfectionis statum a Christo in Ecclesiâ introductum facile intelliges. Sciendum enim est *perfectionem* et *statum perfectionis* non esse synonyma. Nam perfectio tantum attenditur secundum conditionem spiritualem interioris hominis coram Deo, cui sola perspicua est; *status perfectionis* autem, secundum ejus conditionem exteriorem, socialem coram Ecclesiâ, societate visibili. Et nihil prohibet, inquit S. Thomas [1], aliquos esse perfectos, qui in statu perfectionis minime sunt, et aliquos esse in statu perfectionis, qui perfecti nequaquam sunt. Etenim perfectus aliquis habetur quando supremum attingit caritatis gradum, prout viatoribus possibile est. " In statu perfectionis proprie dicitur aliquis esse, non ex hoc quod habet actum dilectionis perfectæ, sed ex hoc quod obligat se perpetuo cum aliquâ solemnitate ad ea quæ sunt perfectionis. Contingit etiam quod aliqui se obligant ad id quod non servant, et aliqui implent id ad quod se non obligaverunt, ut patet [2] de duobus filiis: quorum unus patri dicenti: *Operare in vineâ*, respondit: *Nolo. Postea abiit;* alter autem respondens ait: *Eo, et non ivit.* Et ideo, nihil prohibet, ait S. Thomas [3], aliquos esse perfectos qui non sunt in statu perfectionis ", puta christiani et ecclesiastici, qui virtutes eminenter in hoc mundo colunt; " et aliquos esse in statu perfectionis, qui

(1) S. Th, 2. 2. q, 184, a. 4.— (2) Matth. xxi, 28, 29 — (3) S. Thom. l. c.

tamen non sunt perfecti;" v. g. religiosi, qui opera perfectionis, quibus voto se adstrinxerunt, non implent.

De statu perfectionis hic sermo erit; sed cum fere eadem materia in capite sequenti "de statu Franciscano" pertractanda veniat, dicemus tantummodo.

1) Breviter de naturâ statûs perfectionis, et

2) Fusius de excellentiâ statûs religiosi.

CAPUT I.

DE NATURA STATUS PERFECTIONIS.

902.— Status vitæ christianæ, prout ad bonum spirituale singulorum, seu ad perfectionem dirigitur, non est, uti vidimus [1], nisi ratio aliqua vivendi stabilis ac firma ad salutem gratiæ in hâc vitâ, et gloriæ in futurâ consequendam, ordinata et instituta. [2]

At ratio sic vivendi duplex invenitur: una, quæ est omnibus fidelibus communis et generalis, quia est ad salutem necessaria; alia vero, quæ jam non omnibus est *communis et generalis*, quia tantummodo ad majorem perfectionem consulitur, et quia præter ea quæ ad salutem necessaria sunt, plura media complectitur. Inde duplex consurgit in Ecclesiâ Christi status perfectionis, unus qui dicitur *communis et generalis*, alter vero *perfectionis*. Utraque ratio vivendi in suo gradu habet debitam perfectionem et stabilitatem, seu omnia ad statum constituendum requisita.

Agemus 1° de statu communi, dein 2° de statu perfectionis in genere, et demum paucis verbis 3° de statu religioso in specie.

---

(1) Cfr. n. 800.— (2) SUAREZ. *De Religione* Tr. VII L. 1. cap. 2. n. 7.

ART I. — De Statu communi.

903.— Quid est?— Status vitæ communis ille est in quo fideles ad vitam gratiæ et caritatis tendunt, in eo saltem gradu, qui ad salutem æternam necessarius est.

Conditiones ad statum requisitæ inveniuntur. Hæc ratio vivendi christianorum omnia requisita continet ad statum proprie dictum constituendum, nempe:

a) Debitam perfectionem seu modum vivendi fini proportionatum, et *b)* permanentiam ac stabilitatem in eâdem ratione vivendi.

904.— *a) Debita perfectio:* "In christianâ vitâ duplex perfectio consideratur; una est essentialis, quæ consistit in vitâ gratiæ et caritatis, et ad hanc perfectionem ad minimum consequendam christiana professio ordinatur; et necessaria ac sufficientia media proponit; ergo ex hâc parte sufficiens est ad statum constituendum." [1]

905.— *b) Permanentia atque stabilitas:* "Aliunde vero etiam habet permanentiam et stabilitatem, quia per baptismum, tanquam per professionem fidei christianæ, constituitur: Baptismus autem obligationes perpetuas inducit; et ita subjicit hominem Ecclesiæ, ut ab illius jure amplius subtrahi non possit. Et baptismo additur confirmatio, quæ licet novam obligationem non addat, veluti complet illum statum, dando vires ad conservandum et defendendum illum; ergo in illâ vitæ ratione sufficiens... stabilitas reperitur." [2]

906.— Ratio cur hic status vocetur communis vel generalis: Porro dicitur status *communis*, non quia in illo homines non possint opera supererogationis facere et, gratiâ Dei adjuti, eique cooperantes, in perfectione spirituali crescere; sed

(1) SUAREZ. l. c. cap. 2. n. 8.— (2) SUAREZ. l. c.

a) Quia status ad hoc non obligat, nec specialia media confert;

b) Quia omnibus necessarius est, et

c) Quantum ad id quod habet stabilitatis et perfectionis, in omni alio includi necesse est; quia est veluti fundamentum ceterorum omnium. [1]

Art. II. — De statu perfectionis.

907.— Quid est?— Status perfectionis se habet quasi per additamentum ad statum communem, ab illoque distinguitur tanquam includens ab incluso, et definiri potest: modus vivendi quo aliquis in publico " totam vitam suam voto Deo obligavit, ut in operibus perfectionis ei deserviat." [2]

908. — Quotuplex est? — Cum obligatio Deo in operibus perfectionis serviendi duplici intentione contrahi possit, nempe ex ipso perfectionis adipiscendæ studio, vel ex susceptâ curâ animarum, duplex etiam status perfectionis invenitur:

A) alter passivus, seu perfectionis acquirendæ;

B) alter activus, seu perfectionis communicandæ. [3]

§ I. — *Status perfectionis communicandæ.*

909. — Quid est? — Status perfectionis communicandæ, Frater, status est episcoporum " qui, dum consecrantur, in perpetuam consentiunt obligationem sese impendendi in salutem sibi commissi gregis, ita ut devinciantur suæ ecclesiæ vinculo spiritualis matrimonii, per se indissolubilis et

(1) Suarez. l. c.— (2) S. Thom. opusc. 18 *De perfect. vitæ christ.* cap. 15. vers. fin.—(3) Vermeersch. *De Religiosis institutis et personis* t. 1. n. 8. Brugis, 1902.

quadantenus ipso carnali matrimonio fortioris". [1] *Ratio cur episcopi sint in statu perfectionis*, est professio perpetuæ curæ animarum, quæ tres notas perfectæ caritatis ad proximum continet.

910. — Circa dilectionem proximi, sicut circa dilectionem Dei, duplex perfectio attendi potest, uti supra vidimus [2]: una sine quâ caritas proximi existere nequit, alia quæ sub consilio cadit.

Hæc ultima perfectio tripliciter attendi potest, nempe secundum *dilectionis extensionem*, *intentionem* et quantum *ad dilectionis effectum*. [3]

At, Frater, professio perpetuæ curæ animarum tres continet notas perfectæ caritatis ad proximum:

a) Quoad caritatis extensionem. — Caritas episcopi amplectí debet omnes oves, etiam eas quæ ei sunt inimicæ.

b) Quoad caritatis intentionem. — Episcopus totam vitam pro ovibus sibi concreditis impendere tenetur, quod et facit per quotidianam et perennem sollicitudinem circa ipsas; imo, si opus fuerit, vita ipsa est profundenda.

c) Quoad dilectionis effectum. — Episcopus pro ovibus impendere tenetur non solum beneficia temporalia et spiritualia, sed et divina, nam de spirituali hic agetur munere pascendi. [4]

911. — NOTA. Status episcopalis aliquando vocatur status perfectionis acquisitæ, at, Frater, ratio non apparet cur episcopi in hoc statu poni possint.

a) Status æstimandus est ex ipsâ professione. — " At, quæso, ubinam gentium videmus episcopum se obligare ad sta-

---

(1) A. VERMEERSCH o. c. l. c. — (2) Cfr. n. 423. — (3) Cfr. n. 424 seq. — (4) Cfr. S. TH.: *Opusc. de perfecti. vitæ spirit.*; 2. 2. q. 184. a. 5.; S. BONAVENTURA, opusc. XI *Apologia pauperum*, cap. 3. n. 23. Op. t. VIII. p. 251.

tum acquisitæ perfectionis, id insulsum et superbiæ phantasma foret." [1]

b) Si episcopatus esset status acquisitæ perfectionis, quomodo episcopi impetrarent a R. Pontifice, a vinculo suæ ecclesiæ solutionem, in ordine ad ingressum in religionem, facultatem nempe profitendi religiosum statum, viam videlicet ad perfectionem acquirendam, quam jam essent assecuti. [2]

912. — DIFFERENTIA INTER STATUM PERFECTIONIS COMMUNICANDÆ ET PERFECTIONIS ACQUIRENDÆ.

Quoad statum episcoporum et religiosorum, hæc invenitur differentia, Frater, quod ad statum religiosum suscipiendum *per se* nulla requiritur præparatio virtutis, dum ad statum episcopalem præexigitur *per se* vitæ perfectio, eo scilicet sensu, ut candidatus "nihil in se inveniat per quod illicitum ei reddatur assumere prælationis officium." [3] Hoc manifestum est, "ut patet per hoc quod Dominus a Petro quæsivit, si plus eum ceteris diligeret, antequam ei committeret pastorale officium," [4] et Paulus [5] nos docet: *oportet ergo episcopum irreprehensibilem esse.*

§ II. — *De Statu perfectionis acquirendæ.*

913. — Quid est? — Modus vivendi exterior, firmus ac stabilis in operibus perfectionis Deo serviendi et ad propriam perfectionem vitæ christianæ obtinendam institutus.

EXPLANATIO. — Considera diligenter singula hujus definitionis verba.

a) Quidam vivendi modus. — Hæc verba denotant hunc statum non esse *ministerium*, munus vel officium, quæ ad aliorum utilitatem *per se primo* instituta sunt et assumun-

(1) P. STEIGER, o. c. p. 17.—(2) P. STEIGER, l. c. P. VERMEERSCH, o. c. n. 9.—(3) S. TH. 2. 2. q. 185 a. 3. cfr. S. BONAVENTURA, *Apol. Paup.* cap. 3 n. 24.—(4) S. TH. 2. 2. q. 185 a. 1. ad 2.—(5) I TIM. III, 2.

tur, sed eum ordinari per se primo ad propriam perfectionem illius, qui talem statum profitetur, licet consequenter possit ad aliorum juvamen institui, quatenus juvare alios, actus perfectionis est, per quem ipsa perfectio vel acquiritur vel exercetur et crescit. [1]

b) Exterior. — Cum hic status non tantum attendatur in ordine ad Deum, qui solus intuetur cor, sed etiam in ordine ad Ecclesiam, quæ visibilis est, et de occultis non judicat; omnino necesse est ut per externam actionem vel quasi professionem assumatur. [2]

c) Firmus ac stabilis. — Omnis status immobilitatem saltem moralem importat, seu obligationem in eo permanendi. At, cum status perfectionis res sit consilii et non præcepti, hæc immobilitas non potest ab extrinseco imponi. Oportet igitur ut inducatur consensu propriæ voluntatis hominis qui talem statum libere assumit, id est per votum.

"Ultroneum enim vinculum unâ texitur promissione. Quæ promissio hic necesse est ut fiat Deo: tum quia non apparet cur fieret homini, cum, si demas obedientiam, *alterius hominis* directe non intersit ab altero servari consilia virginitatis, paupertatis, etc., ita ut ipsa obligatio defectu causæ seriæ maximam partem corrueret; tum quia promissio homini facta aliquid foret profanum, quo status ex toto sacer, i. e. perfectionis, non videtur gigni posse [3]." Hæc promissio Deo facta cum aliquâ solemnitate fiat, omnino necesse est, ait S. Thomas [4], nam cum de ratione hujus statûs sit esse externum ac proportionatum Ecclesiæ visibili, etiam obligatio ad illum debet esse *externa*, quod habere non potest nisi a causâ externâ et sensibili oritur.

d) In operibus perfectionis.— Status communis vitæ christianæ ordinatur ad salutem æternam, uti supra vidimus, et proinde homo in hoc statu sese exercere debet in operibus

(1) SUAREZ, L. 1. cap. 5 n. 3. — (2) SUAREZ, l. c. n. 6. — (3) VERMEERSCH, o. c. t. I, n. 7 Cfr. BALLERINI-PALMIERI, *Opus theolog.* t. 4 tract. 9. c. 1, n. 18.— (4) S. TH. 2. 2. q. 184, a. 4.

honestis. Sed status perfectionis aliquid addit illi statui communi, et homo igitur sese exercere debet, non solum in operibus honestis, sed etiam perfectionis, quare merito additur:

e) Institutus ad obtinendam perfectionem vitæ christianæ:— Status perfectionis acquirendæ se habet ad perfectionem vitæ christianæ tanquam via ad terminum, vel tanquam medium ad finem. Cum media specificentur a fine ex notitiâ finis, tota intestina ratio hujus statûs apparet.

At, christianæ vitæ perfectio essentialiter in caritate Dei et proximi consistit. Perfectio caritatis autem duplex est: altera essentialis, altera vero accidentalis [1], vel una simpliciter necessaria ad justitiam et vitam spiritualem animæ, alia utilis ad melius esse.

Perfectio *essentialis* præcise sumpta finis est communis statûs christianorum, et tota quanta est in *observatione mandatorum consistit* et in remotione eorum sine quibus simpliciter *esse* nequit.

Perfectio *accidentalis* proprie finis est statûs perfectionis acquirendæ, et hæc caritas postulat non tantum nudum "esse" caritatis, sed peculiare ejusdem augmentum et singularem excellentiam, ita ut homo non tam habitualiter quam actualiter Deo inhæreat, et hæc caritas præter præceptorum, etiam consiliorum observantiam requirit [2].

Utrumque gradum Christus Dominus innuit apud Matthæum [3], nam prius dixit adolescenti: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* His verbis exigit ea, quæ ad salutem sunt necessaria; et postea addidit: *Si vis perfectus esse: Vade, vende etc.* Ergo aperte Christus docet perfectionem aliquid addere supra id quod est necessarium ad salutem, nempe consiliorum observationem [4].

(1) Cfr. n. 397, et n. 400 seq. — (2) Cfr. n. 394, seq.— (3) XIX. 17, 21. — (4) Cfr. SUAREZ, o. c. l. e. cap. 10 n. 3. — P. STEIGER, o. c. p. 15.

914.— Quotuplex est status perfectionis acquirendæ.

Uti antea vidimus, Frater, ad perfectionem acquirendam non omnia consilia sunt necessaria, sed ordinarie requiritur ad talem scopum obtinendum observatio trium consiliorum evangelicorum. At evenire potest ut quis obligationem stabilem assumat tendendi in perfectionem per observantiam unius alteriusve consilii, vel per observationem trium consiliorum evangelicorum. Unde duplex invenitur status perfectionis acquirendæ, *unus imperfectus*, alter vero *perfectus*, qui vocatur status religiosus. "Hinc qui in primitivâ Ecclesiâ dicebantur ascetæ, seu continentes ex voto, illi qui sponte bonis temporalibus se abdicarunt ut plurimum virgines sacræ, per tria priora sæcula, recte dicuntur in statu perfectionis vixisse, non tamen in statu religioso proprie loquendo. Ita et hodie, recte dices clericum in sacris, esse in statu perfectionis, non quidem ob ordinem, sed ob perpetuam continentiam ordini adnexam. Talis enim servituti perfectionis obnoxii sunt non simpliciter, sed *secundum quid*, respectu scilicet illius tantum consilii ad quod se perpetuo obligarunt."

De naturâ statûs perfectionis acquirendæ stricte dicti, seu statûs religiosi nunc est agendum.

ART. III.— De naturâ statûs religiosi.

915.— Cum status religiosus status sit perfectionis acquirendæ, merito dicitur: "Quædam disciplina vel exercitium ad perfectionem perveniendi [1]."

Ut autem hæc disciplina perfecta sit, necesse est, Frater, ut omnia media ad perfectionem obtinendam complectatur, nempe præter præceptorum, etiam illorum consiliorum observationem, sine quibus ordinarie ad talem scopum nemo pervenire valet [2].

(1) S. THOM. 2. 2. q. 186, a. 2.—(2) Cfr. n. 884.

Nam licet aliquis, uti supra de perfectione agentes diximus, ad plenitudinem perfectionis absque observatione trium consiliorum evangelicorum pervenire possit, uti v. g. S. Job et alii sancti Dei, aliter tamen dicendum est quando sermo est de *statu* perfectionis. Status enim *servitutem* seu *obligationem* denotat, et sicut illi qui versantur in statu communi, tenentur vi statûs amputare id omne quod *de se* caritati contrariatur, ita qui statum perfectionis completum profitentur, tenentur omnia resecare quæ de se plenitudinem caritatis contrariantur, quod, uti diximus, fit per trium consiliorum evangelicorum observationem [1].

Observatio trium consiliorum evangelicorum per se sufficit ad finem propositum attingendum.

Etenim, caritatis impedimentis sublatis, *a)* homo impellitur ad amorem Dei; " affectus noster solutus terrenis, cum necessario in aliquid feratur, ultro in Deum tendit, Unde Augustinus: " Perfectio, nulla cupiditas [2] "— et *b)* ipso facto exercitationibus servitii et laudis Dei sese consecrat.

Ex dictis jam id apparet, Frater, ad statum perfectionis acquirendæ stricte dictum, seu ad statum religiosum, sequentes requiri conditiones:

1) Trium consiliorum evangelicorum observationem,

2) Eorum satis apertam professionem,

3) Eorum professionem firmatam satisque manifesto voto.

916.— Definitio.— Unde status religiosus per se, ex naturâ rei, abstractione factâ a positivâ Ecclesiæ legislatione, definiri potest: " Stabilis vivendi modus Christifidelium qui, præter generalem obligationem servandi præcepta, voto susceperunt obligationem tendendi ad perfectionem caritatis per exercitium trium consiliorum: Paupertatis, castitatis et obedientiæ [3]."

(1) Cfr. n. 884, seq. — (2) P. VERMEERSCH, o. c. n. 20. — (3) P. STEIGER, o. c. p. 31.

917. — NOTA. — *Comparatio inter episcopos, sacerdotes et religiosos.* Quoad *perfectionem*, comparatio attendi potest dupliciter *a)* secundum excellentiam particularem et *b)* simpliciter.

a) Secundum excellentiam particularem, tria considerari possunt : *status, ordo* et *officium.*

Statu præstantiores sunt episcopi et religiosi sacerdotibus sæcularibus. Episcopi enim et religiosi versantur in statu perfectionis, sacerdotes vero in statu communi, vel in statu perfectionis *secundum quid.*

Ordine, ut per se patet, præstant episcopi sacerdotibus, et sacerdotes religiosis laicis.

Officio, anteponuntur ii qui curam animarum habent iis qui tali munere carent. [1]

b) SIMPLICITER episcopi præstant omnibus non tantum ordine et officio, sed etiam statu. [2] *Religiosi sacerdotes*, qui *spiritualibus* funguntur ministeriis, immediate ponuntur post episcopos. [3]

Quoad *sacerdotes sæculares cum curâ animarum* et *religiosum sine curâ :* "Si fiat comparatio secundum *bonitatem*, ait S. Thomas [4], sic præfertur status religionis officio presbyteri curati." Et quidem Ecclesia ipsis *positive* permittit religionis ingressum.

Sacerdos sæcularis præcellit eminentiâ religiosum laicum, quia per sacrum ordinem deputatur ad sublimia ministeria, et ad quod requiritur major sanctitas interior, quam requirit etiam religionis status. [5]

---

(1) Cfr. S. THOM. 2. 2. q. 184 a. 6. — (2) Cfr. S. THOM. *De perfectione vitæ spirit.* c. 17. S. BONAV. l. c. n. 19. seq. — (3) S. THOM. 2. 2. q. 188 a. 6. — (4) S. TH. 2. 2. q. 184 a. 8. — (5) S. TH. 2. 2. q. 184 a. 8.

CAPUT II.

DE EXCELLENTIÂ STATÛS RELIGIOSI.

918. — Excellentia statûs religiosi tanta et tam ampla est, Frater, ut integro volumine satis exprimi non valeat. Pauca dumtaxat igitur de illâ nobis prædicare licebit, nullâ factâ distinctione alicujus formæ Ordinis religiosi particularis.

Ad excellentiam hanc stabiliendam, attendas necesse est 1° ad statûs religiosi intimam naturam, 2° ad ipsius conformitatem ad doctrinam et vitam Christi 3° quâ manifestatur sanctitas Ecclesiæ catholicæ, et 4° ad fructus quos status religiosus eum profitentibus et Ecclesiæ catholicæ, statuique civili copiose parit.

ART. I. — De excellentiâ statûs religiosi ex ipsius naturâ probatâ.

919. — Status religiosus 1) ad perfectiorem finem quam status communis ordinatur; 2) habet normam vivendi tali fini proportionatam, et quidem 3) per votum stabilitam. Unde ejus dignitas clare omnibus hæc serio considerantibus apparebit.

§ I. — *De excellentiâ finis statûs religiosi.*

920. — Finis statûs religiosi *intrinsecus* et *proximus* est perfectio caritatis hujus vitæ; *remotus* et *extrinsecus* est perfectio caritatis cælestis. Ast, quis non videt hunc finem longe præstantiorem esse fine statûs communis, siquidem fideles *ratione statûs* ad caritatem communem tantummodo ordinantur? Cum hæc excellentia ex jam dictis clare appareat, jam hic ei amplius non insistendum est.

§ II. — *De exellentiâ mediorum.*

921. — Merito, modus seu norma vivendi religiosi, *schola* seu exercitium ad perfectionem caritatis adipiscendam vocatur. [1]

Etenim, inter præcipua perfectionis obtinendæ media, primum locum tenent tria vota evangelica, quæ ad essentiam normæ vivendi in statu religioso pertinent. Ast, observatio trium consiliorum evangelicorum ea omnia amovet, quæ animum impediunt et remorari possent ne se Deo amando consecret ; inde 1) procurat requiem quâ anima Deo absque perturbatione frui possit. Dein 2) offert holocaustum Deo acceptissimum, 3) suos professores facit martyres gloriosos et 4) perfectam continet pœnitentiam.

Norma vivendi statûs religiosi est igitur veluti stùdium et schola, in quâ homines perfectionem docentur et obtinent.

A. — Status religiosus requiem procurat ut anima Deo absque perturbatione fruatur.

922. — Perfectio caritatis postulat, Frater, ut homo magis actualiter quam habitualiter Deo vacet. Oportet igitur, ut ea omnia amoveantur quæ animam perturbare possent ne Deo inhæreat. Porro. status religiosus peculiaris locus est requiei ab ipso principe pacis Christo creatus.

Tres acutissimos gladios in manibus ipsum profitentium tradit status religiosus, per quos valent cunctos discordiæ resecare radices, et omnia perfectæ caritatis amputare impedimenta, et intimæ unionis ac concordiæ obstacula tam foris quam intus occurrentia, ut anima pacatissima maneat ac conversationis cælestis digna. Etenim

923. — 1) **Per votum paupertatis** aufert status religiosus divitiarum cupiditatem, et relegat frigidum illum verbum

(1) S. THOMAS 2. 2. q. 186, a. 1 ad 4; et a. 2. in corp.

meum et *tuum*, quod multarum est discordiarum seminarium, juxta illud S. Jacobi [1]: *Unde bella et lites in vobis? Nonne hinc? ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris?* Quidquid est in mundo pretiosum, id propter Christum arbitratur religiosus ut stercora; Christi amore cuncta relinquit, vendit et dat pauperibus, ut pretiosiorem rerum invisibilium thesaurum habeat in cœlis; nullas divitias cupit præter virtutes, nec alium thesaurum quam ipsum Christum, cui dicit [2]: *Quid mihi est in cœlo? et a te quid volui super terram?* Denique hoc gladio resecat superflua in victu et vestitu, aliisque ad proprium spectantibus usum, juxta illud [3]: *Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus.*

Sed quies animæ valde perficitur per

924.— 2) **Votum castitatis:** Hujus voti est, Frater, intestinum cohibere bellum contra spiritum insurgens. Relegat enim divisionem illam quam efficit uxoris, filiorum familiæque sollicitudo et amor: non enim solum carnis illecebris, sed licitis nuptiis renuntiat religiosus, despondens se uni viro virginem castam exhibere Christo.

Votum castitatis est velut ensis super femur religiosi perpetuo appositus, quo omnes carnis voluptates scindit, etiam quæ per connubium licitæ esse possent.

Ad perfectionem voti castitatis spectat omnem carnis amorem expellere, relinquere parentes, consanguineos et affines, et juxta Psalmistam [4], oblivisci etiam domum patris sui.

925.— 3) Tandem perficitur quies per tertium **votum obedientiæ**, quo tanquam potenti gladio abscinditur superbus propriæ excellentiæ appetitus, ex quo maxime oriuntur discordiæ et dissensiones domesticæ, nam [5]: *Inter superbos semper jurgia sunt*, ita ut anima Deo quiete frui minime va-

(1) IV, 1.—(2) PS. LXXII, 25.— (3) I TIM. VI, 8.—(4) PS. XLIV, 11.— (5) PROV. XIII, 10.

leat. Ast quies et pax promissa est hominibus bonæ voluntatis. Illa vero est bona voluntas, quæ voluntati divinæ per obedientiam subjicitur.

Ex his merito deducitur, Frater, ipsum religiosum statum, per suam vivendi normam, si recte observatur, suos alumnos sufficienter disponere ut Deo tranquille, absque perturbatione vacare liceat.

B. — Status religiosus offert holocaustum Deo acceptissimum.

926. — Perfectio caritatis postulat ut homo Deo totaliter adhæreat. At, status religiosus non tantum omnia perfectionis impedimenta resecat, sed per actum religionis eximium, nempe per observationem consiliorum evangelicorum voto firmatorum, totaliter in cultum et servitium Dei transit, et ita quidem ut non tantum Deo sacrificium, sed holocaustum fiat et maneat. [1]

Etenim vero: "Habet homo triplex bonum... primo quidem *exteriorum* rerum; quas quidem totaliter aliquis Deo offert per votum voluntariæ paupertatis; secundo autem bonum *proprii corporis*, quod aliquis præcipue offert Deo per votum continentiæ, quo abrenuntiat maximis delectationibus corporis; tertium autem bonum est *animæ*, quod aliquis totaliter Deo offert per obedientiam, quâ aliquis offert Deo propriam voluntatem, per quam homo utitur omnibus potentiis et habitibus animæ." [2] Et per consequens, per normam vivendi statûs religiosi homo offertur tanquam holocaustum Deo acceptissimum.

C. — Status religiosus facit suos alumnos martyres gloriosos.

927. — Actus caritatis perfectissimus martyrium est; nemo enim majorem caritatem habet quam qui dat animam

(1) Cfr. S. GREGOR M. *Mor.* Lib. IX, cap. 55. P. L. t. 75. col. 905. — (2) S. THOM. 2. 2. q. 186 a. 7. cfr. S. THOM. Opusc. *de perfect. vitæ spirit.* cap. 11.

pro amico suo. At status religiosus suos professores tribus clavis, nempe tribus votis, quodammodo cruci afficit et eos martyres reddit gloriosos. Nam si religiosi martyrium non est ita horridum exteriori specie ut confessoris fidei, duratione tamen et continuatione ut pœnosius merito haberi potest.

"Crux enim dicitur a cruciatu, ait Cæsarius monachus Cisterciencis [1], crux monachorum rigor ordinis est; tum propter vigilias et orationes, tum propter jejunia et castigationes; tum propter silentium et opera manuum; tum propter carnis continentiam, et vestimentorum stratique duritiam. Qui autem sunt Christi? Qui cum Apostolo dicere possunt [2]: Christo confixi sumus cruci: qui carnem suam crucifixerunt, id est cruci affixerunt, cum vitiis operum et concupiscentiis desideriorum pugnantes."

Religiosus, per suam vivendi normam, necessario semper et quotidie torquetur, cruciatur et mortificatur, in ablatione rerum temporalium; in exercitatione operum pœnitentiæ, in voluntatis et judicii abnegatione, juxta illud prophetæ: [3] *Quoniam propter te mortificamur totâ die; æstimati sumus sicut oves occisionis.* Nam religiosus instar martyris dispositus et paratus sit oportet ad quodlibet mortificationis genus accipiendum.

D.— Status religiosus continet perfectam pœnitentiam.

928. — Perfecta caritas exigit, Frater, ut homo plenarie satisfaciat pro peccatis commissis. Sic enim modo perfectiori disponitur ad perfectionem caritatis patriæ. Ast in omni sacrificio, quod in holocausto conspicitur maxime absolutum, et in omni martyrio inest virtus satisfactoria. Unde inferre possumus statum religiosum continere perfectionem pœnitentiæ. [4]

(1) L. VIII. c. 10 apud Alardum Gazæum in suo *Commentario in J. Cassianum* P. L. t. 49, col. 195.— (2) GALAT. II. 19.—(3) PS. XLIII, 32.— (4) Cfr. S. THOMAS 2. 2. q. 189, a. 3 ad. 3.

" Satisfacit pro peccatis, et peccatorum remissionem obtinet profitens, ait doctissimus noster P. Piatus de effectibus professionis statûs religiosi agens, [1] non quantum ad culpam, sed quantum ad pœnam ; et in hoc professio quamdam habet similitudinem cum baptismo, in quantum a pœnâ pro peccatis debitâ plenarie liberat, ita ut si professus tunc moreretur, ipsius anima statim ad paradisi gaudia evolaret. Unde a SS. Patribus [2] professio dicitur secundum baptisma.

" In hoc tamen a baptismo differt quo baptismus sit sacramentum, et hunc effectum producat *ex opere operato* in eo qui obicem non ponit. Professio autem ex opere operantis...

Quum ille effectus ex opere operantis procedat, sequitur quod infallibiliter non obtineatur, si nempe ex unâ parte tam magnus sit pœnæ reatus, et ex alterâ tam remissus sit actus caritatis, religionis et aliarum virtutum, in eo qui profitetur, ut professio non sit condigna satisfactio." Quamobrem, magna diligentia adhibenda est, ut novitii quam diligentissime sese ad statum religiosum profitendum præparent.

Scito tamen, Frater, pœnitentiam seu satisfactionem pro peccatis hic provenire ex excellentiâ statûs religiosi assumpti, et sic differre ab indulgentiâ plenariâ, quæ etiam die professionis lucrari potest: hæc enim non in valore operis operantis fundatur, sed in satisfactione Christi et sanctorum, quam S. Pontifex de thesauro Ecclesiæ hoc vel illud a se impositum operantibus applicat [3]. "

§ III. — *De excellentiâ statûs religiosi qui per votum stabilitur.*

929. — Ligamen quo status religiosus stabilitur, votum est, quo christifideles publice coram Ecclesiâ visibili profiten-

(1) O. c. t. 1. q. 184, effect. 5. — (2) S. BERNARDUS. Epist. 250. n. 2. P. L. t. 182, col. 450 ; sermo. 11. de Divers. n. 3. P. L. t. 183, col. 570 etc. (3) P. PIATUS, l. c.

tur se sequi velle viam non solum mandatorum, sed et consiliorum, ut securius ad perfectionem caritatis perveniant.

A voto religiosus et religio nomen desumit de quo se jactet. *Religiosus* enim et *religio*, ut notat D. Thomas [1], a *religando* dicitur, quia status religiosus ligat et bis ligat hominem omnipotenti Deo: ligamine nempe omnibus christianis communi, et alio ipsis proprio et speciali per votum quo ligant Christo spiritum et carnem, intellectum et voluntatem, ut cuncta hæc juxta beneplacitum Christi procedant, et nihil ei non ligatum maneat. Id tamen maxime attendendum est, quod si votum homines religioni ac Christo adstringit *exterius*, ipsa tamen caritas, quæ vinculum est perfectionis, eos fortius et vehementius ligat *interius*.

Etenim, nisi vehemens amor Christi eos ligaret, nemo se voto ligari voluisset ut divitias contemneret, carnis respueret illecebras, et propriâ se abdicaret libertate. Amor autem ita religiosum ligat, ut nec solvi appetat nec velit; imo, glorietur se indissolubili vinculo ligatum esse. At, quid gloriosius, quid excellentius vinculo indissolubili Christo esse ligatum! Exinde sequitur, Frater, per votum statum religiosum excellentiam acquirere singularem [2]. Votum enim

A) Executionem operis refert ad virtutem religionis;

B) Deo subjicit non solum actum, sed etiam agendi facultatem;

C) Voluntatem firmat in bono;

D) Opera bona perficit, et

E) Libertatem non solum non diminuit, sed magis perficit [3].

(1) S. THOM. 2. 2. q. 81, a. 1.

(2) Cfr. S. BERNARDINUS SENENSIS. Opera: T. 2. Venetiis 1591, Sermo XXIV. *De sacra religione, et quod melius est bonum facere ex voto, quam ex libera voluntate*, p. 206 seq. — (3) Consulantur S. BONAVENTURA opuscul. XI, *Apologia pauperum*, cap. 3,—S. THOMAS, 2. 2. q. 88, a. 6, *Opusc. contra retrahentes a religione*, cap. 12,—P. PIATUS, o. c. t. 1 q. 260,—RODERICIUS, o. c. Pars 3, Tract. 2, cap. 3.

A. — Executio operis refertur ad virtutem religionis.

930.— Quando quis opus voto debitum exequitur, eo ipso opus pertinet ad religionem, quæ est aliis virtutibus moralibus perfectior, ideoque reddit actum meliorem et magis meritorium. Sume exemplum. Jejunium, quod est actus temperantiæ, votum efficit ut etiam actus sit religionis, itaque duplici viâ sit opus meritorium : primo ex virtute ipsiusmet operis jejunii ; deinde ex eo quod est actus religionis. Nam sicuti duplex malitia in uno actu inveniri potest, v. g. peccatum contra votum castitatis, ita et hic duplex invenitur bonitas moralis.

B.— Deo subjicitur non solum actus, sed agendi facultas.

931.— Homo per votum non solum actum, sed etiam agendi facultatem Deo subjicit, Frater, quod melius et perfectius est quam solum actum subjicere. " Si igitur perfectius possidet, inquit Seraphicus Doctor [1], qui possidet quoad usum et proprietatem, quam qui quoad usum tantum ; perfectius se Deo dedicat qui Deo se offert et quoad usum operis et quoad arbitrium voluntatis.— Quemadmodum Anselmus in libro *de Similitudinibus* [2], per exemplum sensibile patenter ostendit in duobus, quorum unus pro tempore offert Domino arboris *fructum*, sed retinet *proprietatem ;* alter vero largitur utrumque ; et hujus secundi donum et oblationem, tanquam liberalius offerentis, dicit non immerito debere præferri; ac per hoc, juxta hujusmodi similitudinem, opus voventis opere non voventis Deo acceptabilius esse confirmat, pro eo videlicet, quod sic introducta in voluntate ex merâ liberalitate necessitas gratiositatem obsequii non diminuit, sed consummat." In statu communi homines, ut summum, Deo dant arboris fructum, quædam scilicet bona

(3) L. c. n. 12. — (1) Cap. 34, Liber iste non est Anselmi, sed Eadmari, discipuli Anselmi, P. L. t. 159, col. 616.

opera ; sed non dant arborem, id est, seipsos, quia hanc sibi retinent, et manent sui: at religiosi insuper seipsos dant, arborem scilicet et fructum, opus æque ac voluntatem et libertatem.

C. — Voluntas firmatur in bono.

932.— Ad virtutis perfectionem omnino necesse est, Frater, ut firmiter et immobiliter operetur [1]. At per votum hunc assequimur effectum : unde necessario sequitur bonum opus ex voto, longe perfectius esse et magis meritorium quam sine voto, quia voluntas magis firmatur in bono. Homo, ut theologia docet, qui in peccato obduratus est, gravius peccat eo qui aut ex infirmitate peccat, aut ab inopinatâ passione occupatus, quia voluntatem in malo magis radicatam et firmatam habet. Ita, Frater, homo, ex adverso, per votum magis Deo placet, magisque meritorie operatur.

D.— Opera bona perficiuntur.

933.— Id quod habet bonum finitum fit melius ex alterius boni adjunctione. Sed ipsa promissio boni, votum scilicet, est aliquod bonum; junctâ igitur bonitate alterius operis, hoc melius reddit. [2]

E.— Voluntas per votum non solum non minuitur, sed perficitur.

934.— *a) Non minuitur.* "Sicut non posse peccare, non diminuit libertatem, ita etiam necessitas firmatæ voluntatis in bonum non diminuit libertatem, ait S. Thomas, [3] ut patet in Deo et in beatis ; et talis est necessitas voti, similitudinem quamdam habens cum confirmatione beatorum. Unde

(1) ARIST. 2. *Ethic.* cap. IV, cfr. supra n. 448 seq. — (2) S. THOMAS opusc. cit. l. c.— (3) 2. 2. q. 88, a. 4 ad 1.

Augustinus dicit [1] quod felix necessitas est quæ in meliora compellit."

b) Perficitur. Meminerint fratres, ait Seraphicus Pater in Regulâ, [2] "quod *propter Deum*, abnegaverunt proprias voluntates." Ast qui renuntiat suæ voluntati, qui voto eam Deo subjicit, quid aliud facit, Frater, nisi certissimæ rectitudinis regulæ eam subjicere, nempe voluntati divinæ, quam interpretatur is, qui religiosis nomine Dei præsidet. [3] Per talem agendi modum, voluntas ipsa perfectior fit, siquidem semper et in omnibus Dei beneplacitum exsequitur.

Dein, libertas hominis vera in eo est sita, quod suiipsius sit dominus. Magis autem sui dominus est qui voto se obligat, et superiori alicui subdit, quam qui animum ad hoc faciendum non habet.

Ex dictis excellentia statûs religiosi clare apparet, quæ magis adhuc clarescet, si ejusdem conformitatem ad doctrinam et vitam Christi examinamus.

ART. II. — Excellentia statûs religiosi ex ejusdem conformatione ad doctrinam et vitam Christi.

935. — Laudem atque excellentiam singularem sibi parit status religiosus ex ejusdem conformatione ad doctrinam et vitam Christi.

Christus enim verbis et exemplo perfectiorem communi vivendi normam hominibus proposuit libere amplectendam.

Licet hic status in veteri Testamento a patribus et prophetis fuerit adumbratus et ex parte inchoatus [4], perfecta tamen ejusdem institutio pertinet ad legem gratiæ. Vetus enim Testamentum, quod erat umbra futurorum, ad perfec-

(1) In Epistol. ad Armentarium et Paulinum 127 (al. 45) vers. fin. P. L. t. 33, col. 487. — (2) Cap. X. — (3) Cfr. S. IGNAT. de LOYOLA. *Epist. de virtute obed.* n. 7. — (4) IV REG. II, 1-25; IV, 25-38; VI, 1.

tum gradum nihil adduxit. [1] " Profecto Elias, Eliseus et alii, in veteri Testamento, ultra mandatorum observantiam se extendentes, plurima observarunt, quæ ad materiam consiliorum pertinent, puta perfectam castitatem, abjectionem rerum temporalium: et hoc probat quidem eos ad perfectionem devenisse, minime vero religiosos fuisse; nam non constat utrum id fecerint ex voto, et si ponas id e voto promanasse, votum hujusmodi non fuit publice emissum in facie Ecclesiæ locum Dei tenentis, sed in occulto coram Deo, ideoque statum internum coram Deo, minime vero statum publicum, de quo hic sermo est, fundare poterat." [2] Et ideo status religiosus quoad suam substantiam, id est quoad professionem triplicis consilii evangelici voto firmatam, quâ homo publice coram Ecclesiâ integrum se Deo mancipat, originem suam ducit a Christo, qui eum suis consiliis immediate tradidit et instituit, ita ut dicere possimus statum religiosum esse de jure divino, non quidem præcipiente, sed consulente: Hæc est, ait Suarez [3], sententia omnium catholicorum recte sentientium, et eam veram esse facile probatur 1) per Scripturam sacram et 2) per auctoritatem Ecclesiæ catholicæ.

§ I.— *Per Scripturam sacram.*

936.— Quantumvis Christus Dominus nullam particularem determinationem statûs religiosi dederit quoad talem regulam observandam, verbis et exemplis tamen homines exhortatus est A) ad tria consilia evangelica observanda, B) ad eadem tria simul sequenda, C) ad hanc vivendi normam voto firmandam, utque fideles ad hanc perfectam vitæ suæ formam magis atque magis excitaret, eis D) motiva talis agendi modi proposuit.

---

(1) Cfr. Heb. vii, 22; Galat. iv, 24 seq.—(2) P. Steiger. o. c. p. 32. cfr. Suarez. o. c. L. 3 c. 2.—(3) L. c. L. 3, c. 1. n. 4.

A. — Christus homines exhortatus est ad consilia 1) Paupertatis 2) castitatis et 3) obedientiæ.

937. — 1° **Ad paupertatem.** — "Christus, ait S. Bonaventura [1], se exhibuit doctorem paupertatis verbo pariter et exemplo." — "Pauper fuit in *ortu*, pauper in *vitæ progressu*, pauper *in termino.*" [2] Etenim paupertas prima fuit lectio, quam dum nasceretur, magnus ille magister de cathedrâ præsepii nobis prælegit. Hanc siquidem nos docet illud stabulum; hanc panniculi illi viles. Hæc etiam postrema ejus lectio fuit, quam e cathedrâ crucis tenuit, moriens nudus ab omni possessione orbatus. Quale autem vitæ principium et finis fuit, talis fuit et reliqua illius series, ita ut Dominus dicere potuerit [3]: *Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos; filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.*

Quare, ait Seraphicus Doctor [4], "tribuens de perfectionis agressione consilium, primum ad hanc suo invitat exemplo, dicens: *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia, quæ habes, et da pauperibus, et veni, sequere me.*"

938. — 2° **Ad castitatem.** — De castitate quid dicam! Christus Dominus suo exemplo castitatem tam exaltavit, ut cum Seraphico Bonaventura [5] exclamare possimus: "Quibus laudibus te efferam, o virginalis candor, prorsus nescio, Atqui nescientem me doceat singulare illud lilium, increata Dei sapientia, Dominus Jesus, unigenitus Patris Filius et unicus Filius lilii singularis, id est castissimæ Virginis Matris, quæ in confinio utriusque legis votum consecravit perpetuæ et integerrimæ virginitatis."

---

(1) Opuscul. XVI. *Expos. super Reg.*—(2) S. BONAVENT. *Apol. Pauper.* c. VII, n. 7. cfr. etiam opusc. VI. *De perfectione vitæ ad Sorores*, c. 3. n. 2 seq.—(3) MATTH. VIII, 20; LUC. IX, 58.— (4) *Apolog. Pauper.* cap. 7. n. 3. Op. t. VIII. p. 272.— (5) Opusc. X *Vitis mystica.* addimentum IV n. 63. Op. t. VIII. p. 196.

Non mirum igitur id nobis videri potest, quod ad perpetuam castitatem atque continentiam observandam Dominus Jesus homines exhortatus est. *Sunt eunuchi,* ait [1], *qui de matris utero sic nati sunt, et sunt eunuchi qui facti sunt ab hominibus, et sunt eunuchi qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum.* His verbis Christus Dominus loquitur non quidem de exsectione membrorum corporis, sed de spirituali cultu perpetuæ continentiæ, uti S. Mater Ecclesia semper docuit [2], et SS. Patres [3] hunc Scripturæ locum interpretati sunt.

Et licet hæc continentia donum sit Dei [4], oratione præsertim, ceterisque bonis operibus obtineri potest; quare Dominus eam omnibus enixe commendat dicens [5]: *Qui potest capere, capiat.*

Merito igitur S. Paulus [6] ex professo de castitate agens, affirmare potuit: *De virginibus præceptum Domini non habeo; consilium autem do.*

939. —3° **Ad obedientiam.** — Una e rationibus, ob quas humanam Deus naturam assumpsit, fuit ut obedientiæ virtutem nos doceret, et ad eam suo exemplo invitaret: *Descendi de cœlo,* ait [7], *non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.* Isaias [8] de Messia venturo loquens, vocat eum *Servum Domini.* Et S. Paulus de eo scribit: *Ingrediens mundum... dixi: Ecce venio ut faciam, Deus, voluntatem tuam.* [9] Quapropter Dominus Jesus semper hanc suam missionem præ oculis habuit: *Meus cibus est,* inquit [10], *ut faciam voluntatem ejus qui misit me, ut perficiam opus ejus.* Et: *Ego, quæ placita sunt ei, facio semper.* [11] " Quæ quidem verba vere adorandis ornavit atque confirmavit factis, *sub-*

(1) MATTH, XIX, 12. — (2) Cfr. S. JUSTINUS, *Apol.* 1. c. 15 P. G. t. 6, col. 350. — (3) Vide v. g. S. Chrysostomus in hoc loco. P. G. t. 58. col. 599. Origenes, P. G. t. 13. col. 1254. — (4) S. MATTH. l. c. 11. — (5) L. c. 12. — (6) I COR. VII, 25. — (7) JOANN. VI, 38. — (8) Is. XLII, 1-9; XLIX: 1-6; L, 4-9; LII, 13; LIII, 12.—(9) HEBR. X. 5, 9.—(10) JOANN. IV, 34. — (11) JOANN. VIII, 29.

ditus enim erat non parentibus tantum, sed *omni humanæ creaturæ.* [1] Nihil sanctæ obedientiæ Ipsi carius, exoptatius, dulcius, donec cruci affixus, inter atrocissima mortis tormenta divinum caput in obsequii signum inclinavit, spiritum tradens in manus Patris. Quin etiam obediendi munus ne moriens quidem absolvit, quoniam continenter sub S. Hostiæ velamine omnino idem tibi exhibet obsequium, quod quondam purissimæ maximeque benedictæ Matri suæ exsultans præstitit. " [2]

Nemini igitur mirum videri potest quod Christus ad perfectionem aspirantibus perfectam præscribit obedientiam. Juvenis enim, qui toto vitæ tempore præcepta observaverat, rogat Dominum: *Quid mihi adhuc deest?* Et Jesus respondit: *Si vis perfectus esse... veni, sequere me,* non utique ad observanda tantummodo præcepta, sed ad majora adimplenda, ad ea nempe quæ cadunt sub consilio.

Cum ad perfectionem acquirendam tendentes, Christum sequi debeant, non gressibus corporis, sed affectu mentis, hic quærere possis, Frater, quænam sit et ad quæ se extendat obedientia hic a Christo consiliata.

Ut hanc accurate percipias, sciendum est, Frater, obedientiam nihil aliud esse quam abnegationem propriæ voluntatis, quâ homo se subjicit legitimæ auctoritati.

Jam vero, obedientia, respectu perfectionis, duplex inveniri potest: alia *essentialis*, quæ debetur auctoritati a Christo præscriptæ; alia *specialis*, quæ debetur auctoritati superioris vitæ cœnobiticæ quam quisque libere elegerit.

Ratione momenti, hæc omnia clare exponenda sunt. Unde dicemus primo de *obedientiâ essentiali*, et dein de *obedientiâ in vitâ cœnobiticâ* superiori debitâ.

940. — *a)* OBEDIENTIA ESSENTIALIS. — Ecclesiæ competit, Frater, *authenticum magisterium*, id est docendi officium.

(1) I PETR. II, 13.—(2) WOLTER, o. c. p. 495.

Et quidem Christus moriens doctrinæ perpetuitati prospexit non litteris scriptis, quibus figeret doctrinam et ex quibus singuli sibi derivarent fidem, sed instituit authenticum, ineffabile et infallibile magisterium, cui suam assistentiam et Spiritûs Sancti tutelam promisit. *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terrâ*, ait [1]. *Euntes ergo, docete omnes gentes... docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.* — *Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.* [2]

Hoc ineffabile Ecclesiæ magisterium conjunctum habet imperium, quo fideles urgere valet ut sese normæ ab Ecclesiâ præscriptæ submittant: *Qui vos audit, me audit*, ait Dominus de Ecclesiæ docendi potestate; *qui vos spernit, me spernit.* [3] — *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* [4]

Proinde mediante hoc infallibili magisterio, assistentiâ Christi ejusque Spiritûs munito, decurrit ad omnes gentes et generationes pura et incorrupta doctrina revelata, et Ecclesia declarat non tantum voluntatem Dei *jubentem* sed et *consulentem*. Aliis verbis, Ecclesia per suum magisterium conjunctum imperio proponit non salutis tantum, sed et perfectionis media et urgere potest ut unusquisque regulæ ab ipsâ præscriptæ se submittat juxta statum quem amplexus est. Ad ea quæ sunt salutis tenentur qui versantur in statu communi; ad ea vero quæ pertinent ad perfectionem obligantur qui libere statum perfectionis elegerunt.

Quibus hoc magisterium competit. — Ad officium docendi, ex voluntate Christi, vi muneris ordinarii seu pastoralis potestatis tenentur episcopi. Omnes igitur, non tantum fideles in statu communi, sed in statu perfectionis acquirendæ iisdem prælatis subduntur: "Subjectio religiosorum

(1) MATTH. XXVIII, 18-20. — (2) JOANN. XIV, 26. — (3) LUC. X, 16. — (4) MATTH. XVIII, 17.

Tertio modo, *per utrumque simul*, Deo obsequium præstando, id est, per contemplationem, quæ in actionem prodeat, sive per actionem, quæ necessario requirat contemplationem. Quod faciunt qui concionibus et Sacramentorum administratione populo serviunt. "

Juxta hos fines, tria sunt genera religionum : Unum earum quæ profitentur vitam contemplativam, in quâ homo variis utitur exercitiis : v. g. oratione, meditatione, examine conscientiæ, memoriâ præsentiæ Dei et his similibus ut contemplationi vacare possit. Dicitur ergo contemplativa, quia contemplationem pro fine habet. Hujus generis sunt : religiones Camaldulensis, Carthusiana, Cisterciensis reformata.— Alterum genus est eorum, quæ profitentur vitam activam, quæ licet variis vitæ contemplativæ mediis utatur, pro fine tamen habet varia caritatis opera [1]. Tales sunt : hospitalarii, et ii qui militaribus ordinibus nomen dederunt.— Tertium genus est earum, quæ scilicet contemplationem et actionem sibi ponunt scopum. Hujusmodi religiones sunt : Ordines mendicantes et clericales in universum.

NOTA.— Distinctio tamen supra declarata non in eo sensu intelligenda est, Frater, ut vita contemplativa omnem excludat actionem, et activa omnem contemplationem. Sed ita denominantur ex eo quod alterutra *principaliter* in aliquâ religione ut finis intenditur.

§ II.— *Varietas Ordinum religiosorum ex mediis.*

975.— Ratione mediorum ad finem intrinsecum statûs perfectionis acquirendum nulla etiam datur varietas essentialis inter Ordines religiosos, siquidem omnes in votis sub-

(1) "Antiquiores regulæ S. Basilii et S. Benedicti, ait P. Vermeersch, o. c. t. I, n. 78, discipulos quidem non dirigunt nisi ad personalem sanctitatem. non excludunt tamen ministeria sacra in spirituale proximi bonum, si quæ detur opportuna eorum occasio. Quare formas istas excipiendas putamus divisionibus quæ post eas cœptæ sunt usurpari. "

stantialibus ad hunc finem necessariis conveniunt. Sed cum variæ religiones habeant finem minus principalem ad quem diversis mediis tendunt, ex his mediis varietas oriatur, omnino necesse est. Ut hanc diversitatem accuratius perspicias, attendas oportet, Frater, 1. ad studia quibus aliqui religiosi potissimum incumbunt, et 2. ad regulam et constitutiones quæ studia et cetera media ad finem minus principalem assequendum et ad vota servanda proponunt.

I.— De diversis religiosorum studiis.

976.— Studia, id est exercitationes quibus religiosi incumbunt, ad quinque possunt revocari genera, nempe:

A) Ad ministeria clericis propria;

B) Ad segregationem a mundo;

C) Ad spiritualia et divina caritatis officia;

D) Ad munus militiæ pro causâ fidei et Ecclesiæ;

E) Ad exteriora caritatis officia.

Jam vero, ex his studiis variæ enatæ sunt congregationes religiosorum.

977.— A) **Ex studiis clericis propriis** veniunt canonici regulares et clerici regulares.

1) *Canonici regulares.*— Clerici, moti exemplo laicorum, jam a primis Ecclesiæ sæculis, statum perfectionis professi sunt. S. Augustinus in Mediolanensi urbe jam viderat "monasterium plenum bonis fratribus sub Ambrosio nutritore." [1]

S. Eusebius, Vercellensis episcopus, († 371) in propriâ domo cum suis clericis vitam duxit monachalem, et S. Augustinus voluit, ut ipse ait, [2] habere in suâ domo episcopali secum monasterium clericorum, qui simul "et sanctitatem et clericatum" [3] professi sunt. S. Doctor nullam tamen

(1) *Confess.* L. VIII, cap. 6. P. L. t. 32. col. 755.— (2) Serm. 355. P. L. t. 39, col. 1570.— (3) S. AUGUST. ibid. col. 1573.

regulam, sed multas ordinationes ad vitam perfectionis spectantes edidit. [1]

Clerici sub S. Augustino "professi sunt communiter vivendi societatem," [2] et eo tempore *canonicus* dictus est clericus qui in canone Ecclesiæ inscriptus erat et ex ejusdem bonis censum vel canonem annuum percipiebat.

Norma vivendi a S. Augustino instaurata, late per Ecclesiam diffusa est, et plurimi clerici cum Episcopo vitam ducebant communem.

Sed jam sæculo VIII et IX, sed potissimum tamen sæculo X et XI clerici sibi retinebant bona personalia, et maxima in eos irrepserunt vitia. "Iisque afflictus Pontifex Nicolaus II, ad preces B. Petri Damiani, canonicis prohibuit omnem proprietatem privatam, in concilio Romano 1059; quam prohibitionem innovavit Alexander II, 1063. Canonicis præterea illud vitæ genus quod B. Augustinus cum clericis suis coluerat tanquam normam proposuerunt, et ne id in vanum cederet, compilarunt eo tempore sic dictam *Regulam S. Augustini*, simulque canonicos induxerunt ad emissionem trium religionis votorum, sane solemnium. Hoc igitur sæculum XI, strictius a. 1059-1063, et nullum aliud est ætas natalis canonicorum Regularium. Nam qui multi huic reformationi non adhæsere, exinde vocati sunt canonici sæculares." [3]

(1) Cfr. Epist. ad Virg. 211. P. L. t. 33. Libellus *de opere monachorum*. P. L. t. 40, col. 547, duo sermones *de moribus clericorum*. P. L. t. 39, col. 1568-1582 ex quibus sæculo XI, excerpta est illa quæ dicitur: Regula S. Augustini.— (2) S. AUGUST. Serm. 355. P. L. t. 39, col. 1573.— (3) P. STEIGER. o. c. p. 73.

NOTA.— Canonici regulares qui adhuc supersunt, habentur præsertim sequentes:

a) *Canonici regulares Lateranences* vel de *SS. Salvatore* ab Alexandro II circa a. 1063.

b) *Canonici Præmonstratenses* a S. Norberto, 1120.

c) *Canonici cruciferi* vel crucigeri a Theodoro Cellensis, 1166.

978.— 2) *Clerici regulares.*— Sæculo autem XVI suscitavit Deus varios Ordines clericorum, qui non ad instar canonicorum alicui Ecclesiæ erant obstricti, sed ab hoc vinculo liberati ut facilius in omnibus clericorum officiis, in catechizandis rudibus, in instituendo juventute sese devoverent [1]. Inde *clerici regulares.*

979.— B) **Ex segregatione a mundo** natæ sunt religiones monachorum. Studium præcipuum cui aliqui incumbunt religiosi est *segregatio a mundo*, quapropter et dicuntur *monachi*. "Monachus dicitur ille, inquit Martène [2], qui segregatus ab omni hominum frequentiâ, in solitudine pœnitentiæ lærymis vacat et Deo totus adhærens, unus cum eo spiritus efficitur." Monachales sunt religiones S. Basilii et S. Benedicti [3], sicuti et omnes qui *antea* constiterunt

(1) Hoc genus vitæ amplexi sunt:

a) *Theatini* anno 1524 a S. Cajetano, a Thiena et a Petro Carafa, qui postmodum fuit Summus Pontifex Paulus IV.

b) *Clerici regulares Somaschæ* seu S. Majoli a S. Hieronymo Æmiliano, 1532.

c) *Barnabitæ* seu *clerici regulares S. Pauli* a S. Antonio Maria Zaccharia. 1533.

d) *Religiosi societatis Jesu* a S. Ignatio, 1534.

e) *Clerici ministri infirmorum* a S. Camillo de Lellis. 1584.

f) *Clerici minores* a Joanne Adorno, S. Francisco Caracciolo et Fabricio Caracciolo, a. 1588.

g) *Clerici scholarum piarum* a S. Josepho Calasanctio, 1597.

h) *Clerici regulares a Matre Dei,* 1628.

(2) *Comment. in Reg. S. Bened.* cap. I. P. L. t. 66, col. 245; cfr. etiam SCHIWIETZ. o. c. t. I, cap. I; Dom BESSE: *Monachisme africain* IV-VI siècle (Brochure) Paris, Oudin, p. 69.

(3) NOTA.— Ab eadem stirpe originem ducunt congregationes Cassinensis et Beuranensis. Vitam monachalem S. Benedicti in Siciliam evexit S. Placidus 534; in Gallia S. Maurus, eamque S. Gregorius M. in Angliam 595. S. S. Firminus et Bonifacius in Germaniam 722 propagarunt. S. Benedictus Anianensis (750†821) ordinem reformavit. Vide ejus vitam apud Migne, P. L. t. 103, col. 354 seq.

Congregationes autem reformatæ O. S. Benedicti potissimum sunt sequentes:

religiosorum cœtus. Dein aliæ religiones e stirpe benedictinâ enatæ. [1]

980. — C) **Ex spiritualibus et divinis caritatis operibus** originem ducunt Ordines mendicantes. Ineunte sæculo XIII ad hæreticorum sectas confundendas quæ sub apostolicæ severitatis specie ignaros captabant, Deus novos suscitavit Ordines religiosos, nempe *mendicantes*. Hi, saltem ex primævâ eorum institutione, omnibus possessionibus etiam in communi valedicebant, et labore manuum et mendicatione vivebant. Pro temporalibus beneficiis a christianis acceptis, prædicatione potissimum et doctrinâ reddebant populo spiritualia et divina caritatis officia.

981. — **Ordines proprie mendicantes sunt quatuor:**

1) Ordo Fratrum Minorum. — Beatus Franciscus tres instituit Ordines: nempe. *a) primum Ordinem* Fratrum Minorum pro viris anno 1209. "Spiritu Dei plenus et zelo caritatis Dei et proximi totus ignitus, ait S. Bonaventura [2], triplici desiderio flagravit, videlicet ut totus posset esse imitator Christi in omni perfectione virtutum; item, ut totus posset adhærere Deo per assiduæ contemplationis ejus gustum; item, ut multas posset lucrari Deo et salvare animas, pro quibus Christus voluit crucifigi et mori. Et quia non suffecit ei, ut ista in propriâ personâ tantum ageret, voluit instituere Ordinem, ut multos cooperatores haberet

1. *Congregatio Cluniacensis.* 910. Consuetudines Cluniacensis monasterii inveniuntur P. L. t. 149, col. 635 et seq.

2. *Congregatio Cisterciensis* a S. Roberto 1098, quam illustravit S. Bernardus.

3. *Congregatio Cisterciensis reformatæ B. V. M.* (de Trappa) ab Armando de Rancé (1626-1700).

(1) 1) Camaldulenses a S. Romualdo 1018.
2) Ordo "Vallis umbrosa" a S. Joanne Gualberti 1038.
3) Ordo Cartusiensis a S. Brunone n. 1032. † 1101.
4) Sylvestrini a S. Sylvestro Gozzolino 1271.
5) Olivetani et aliæ congregationes quæ jam perierunt.

(2) Determin. quæst. Pars I, q. 1. Ed. ad Claras Aquas, t. VIII, p. 338.

non solum in præsenti, sed etiam in futuro, qui et sanctitatis ejus imitatores existerent et alios Deo plurimos lucrarentur. Ordines autem, quos invenit in Ecclesiâ, aliqua prædictorum trium ex parte habebant, ut religiosi cœnobitæ, qui in studio virtutum Christi imitantur vestigia ; eremitæ, qui contemplationi divinæ frequentius vacant, et clerici, rectores plebium, qui animarum curam habentes, ex officio lucris animarum omni vigilantiâ intendere debent. Et quia hæc tria simul in nullo invenit Ordine, Spiritu Sancto edoctus, novam condidit Regulam et novum Ordinem instituit, qui in professione evangelicorum consiliorum, obedientiæ videlicet et castitatis et abdicatione proprietatis, Christi vestigia sequeretur: et in officio prædicationis et confessionis, animarum lucra utiliter quæreret; et in altissimæ paupertatis mendicitate libertatem spiritûs retinens, contemplationis supernæ apprehenderet puritatem. Nam, etsi actionis exterioris occupatio aliquoties interrumpat otium contemplandi, ipsa tamen libertas cordis, nullis sollicitudinibus temporalium distracta, spiritualis vacationis magnam præstat studiosis opportunitatem, ut orando, legendo, meditando et contemplando."

Unitas tamen in Ordine Minoritico non diu permansit. Ut accuratius hodiernum ejusdem statum perspicias, hic variarum congregationum franciscanorum brevem traducemus conspectum historicum.

982. — **Congregationes Minorum reformatæ.**

Immediate post mortem B. Patris, dum permulti Regulæ puritati Ordinisque spirituali decori invigilabant, aliqui de priori fervore et observantiâ defecerunt. Illa pejoratio "non tamen indicat imperfectionem Instituti, sed potius arduitatem et difficultatem, quam mirum non est, in tantâ hominum multitudine, non ab omnibus æque servari et adamari; sed illud potius magnâ laude dignum est, quod tot sint, nunquamque desint illius perfectionis zelatores." [1]

(1) SUAREZ. De Rel. t. IX *De varietate Religionum* L. II. c. VII, n. 7.

Relaxatio disciplinæ nunquam infecit totum Ordinem. Optimus enim Deus nunquam permisit, ex integro deficere fratres qui Regulam inviolate servarent et collapsam observantiam in provinciis aut nationibus restaurarent. Sic variæ in Ordine Seraphico exortæ, et ab Ecclesiâ approbatæ sunt Congregationes reformatæ, quæ labentem illibatam regulæ observantiam in provinciis aut nationibus restituerunt.

Causæ præcipuæ relaxationis disciplinæ, quæ hoc tempore fere apud omnes religiosos, et in specie etiam apud Franciscanos occurrit, erant divitiæ semper majores, bella civilia continua, quæ naturales relationes inter superiores et inferiores impediebant, divisiones internæ ortæ ex luctis inter Papam et imperatorem, ex schismate occidentali, etc. His causis certe adnumerari debet lues contagiosa, circa 1348 per Europam grassantem. Fratres Minores sese spontanee servitio infirmorum demandabant, in quo opere caritatis permulti defuncti sunt; populi gratiis vicissim, præmii instar, divitias et novos conventus tribuerunt.

Porro, quum jam multi religiosi erant lue contagiosa percussi, et nihilominus numerus conventuum continuo augebatur, superiores non, quâ par est severitate, parum dignos neo-candidatos ab ordine arcuerunt.

Et sic ingressi sunt multi indigni. Quâ relaxatione semel cœptâ, malum crescebat progrediendo. Nam boni religiosi in aliis Ordinibus majorem fervorem quæsierunt, et tepidi fere soli apud Franciscanos remanebant. Attamen veri S. Francisci asseclæ collapsam religionem omnibus viribus ad primum ardorem reducere conati sunt: inde illa magna divisio hodierna in Observantes, Conventuales et Capuccinos.

Ab anno 1227 ad 1517, jam permultæ in Ordine Seraphico reformationes surrexerunt sub nomine Cæsarinorum, Cælestinorum, Clarenorum, Coletanorum, Amadeitarum, Observantium, etc. Ut tot reformationibus finem faceret, unionem aliquam tentavit Leo X. (a. 1517).

Quapropter Generalissimum Capitulum Romæ convocavit

ex omnibus Ordinis Reformationibus et Conventualibus. Ibi, propositâ Reformatione, contra eam reluctantes exclusit Papa ab electione Ministri Generalis totius Ordinis, eumque ex Observantibus eligi jussit. Ita ex Pontificis potestate, Ordo divisus fuit in duas partes distinctas et separatas: una quæ privilegia Regulam relaxantia retinebat; altera quæ puritati Regulæ adhærebat; priores vocati sunt Fratres Minores Conventuales, sub regimine Ministri Generalis inter Conventuales electi et qui confirmationem suæ electionis petere debebat a Ministro Generali observantiæ, tanquam Capite totius Seraphici Ordinis, Bulla "Omnipotens Deus."

Posteriores, per Bullam "Ite et vos in vineam," inter se coadunati fuerunt sub nomine Observantium et sub regimine Ministri Generalis totius Ordinis deinceps per eos et inter eos eligendi.

Insuper, prohibuit Summus Pontifex novas introduci Reformationes, nisi de consensu et sub obedientiâ Ministri Generalis totius Ordinis. Attamen non multo post, novæ inter Observantes prodierunt relaxationes et abusus haud pauci admissi sunt. Anno 1525, Vener. P. Matthæus de Basci, ex regulari observantiâ, optimo spiritu motus decrevit regulam observare ad litteram, et quam perfectissime imitari vitam S. Francisci. Simul barbam cœpit deferre, sicut S. Franciscum detulisse ex antiquis monumentis et ex Celano [1] compertum est; assumpsit etiam habitum et capucium similia illis quæ tanquam reliquiæ passim asservantur, vel in antiquis picturis conspiciuntur. Anno vero 1528, Ludovicus et Raphaël de Forosempronii (Fossonbrone) licentiam adepti sunt novitios recipiendi, et sic proprie novus Ordo Capuccinorum constitutus est. Simul nova illa reformatio solemniter et canonice laudata et approbata fuit sub obedientiâ Magistri Ordinis Conventualium. In persecutionibus et omnis generis difficultatibus quasi per ignem probati, Capuccini enixius adhæserunt exactissimæ obser-

(1) Leg. I, 29. p. 84.

vantiæ. Anno 1535, Paulus III per Bullam "Exponi vobis" iterum approbavit reformationem et patrocinio Magistri Conventualium ipsis dedit Vicarium Generalem. Ille cum suis Provincialibus eamdem potestatem habuit ac Superiores Observantium. Paulus IV, anno 1560, Ordinem Capuccinorum de novo approbavit cum privilegiis a Clemente VII et Paulo III jam concessis; et anno 1564 ipsis dedit cardinalem Protectorem proprium Ordinis. Tandem 12 Octobris 1618, Paulus V, Bullâ "In supremâ Sedis," Vicarium Generalem ad dignitatem Ministri Generalis evexit. Ita post centenariam luctam, Capuccini, omnibus difficultatibus superatis, completam ab Obervantibus et Conventualibus obtinuerunt independentiam, canonice constituti in tertium specialem ac separatum ramum Ordinis Minorum.

Interim tamen, etiam Observantes ad puriorem observantiam regulæ reversi sunt, et plures obortæ sunt reformationes speciales et novæ congregationes; donec anno 1897, Leo XIII, per litteras Apostolicas "Felicitate quadam" univit Observantes, Reformatos, Alcantarinos et Recollectos in unum ordinem, sub nomine "Fratum Minorum" sine addito. Quam denominationem postea ad tollendam omnem ambiguitatem et ad bene monstrandam perfectam æqualitatem inter tres deinceps existentes familias Franciscanas, omnino abrogandam tanquam denominationem specificam censuit Pius Papa X; proinde anno 1909, per litteras "Septimo jam pleno sæculo" decrevit nomen speciale illius familiæ Minorum deinceps futurum esse "ab unione Leoniana," quippe quæ anno 1517 et 1897 respective a Leone X et Leone XIII ex pluribus una facta sit.

Omnes Fratres Minores, absque discrimine, sunt veri et legitimi filii S. Patris Nostri Francisci, ut pluries Romani Pontifices aperte professi sunt; quas declarationes recolens Pius X, in citatis litteris "Septimo jam pleno sæculo," "Hæc ipsa nos, ait, affirmantes, volumus, jubemus, ut quotquot sunt de ternis disciplinis Franciscalis Ordinis primi,

omnes non solum germani sed gemelli Fratres... habeantur." Addit tres familias esse omnino pares et æquales: "Quodsi inter Fratres Minores, pergit, ullum legitimæ præstantiæ discrimen agnosci debet, illud non in eo ponendum est, quod alius de aliâ familiâ sit... sed in hoc, quod alius alio melius et judiciis et dictis et factis caritatem fraternam erga sodales, ceterarum præsertim familiarum, custodiat."

983.—*b) Secundum Ordinem* pauperum Sororum instituit Seraphicus Pater anno 1212, quo Sancta Clara claustrum est ingressa. Clara nobilis virgo Assisiensis, in ipso juventutis flore, sanctum Franciscum concivem suum imitata, bonis omnibus in pauperes distributis, e sæculi strepitu fugiens, ab eodem beato Francisco detonsis crinibus et ad ecclesiam Sancti Damiani adducta, ibidem evangelicam plane incepit vitam, et Ordinem sanctimonalium inchoavit, quarum regimen, suadente ac efflagitante Seraphico Patre, ipsa suscepit.

Anno 1254 earum regulam, Fratrum Minorum regulæ fere consimilem, Innocentius IV solemniter approbavit.

984. — *c) Tertium Ordinem* Pœnitentiæ pro fidelibus utriusque sexûs, B. Franciscus instituit præsertim ab anno 1219-20. Postquam Seraphicus Pater religiosis viris et feminis tutiorem intra claustra viam ad cœlos, datis regulis, aperuerat, et primum et secundum instituerat Ordinem, nempe Fratrum Minorum et Pauperum Dominarum, zelo semper ardentius exæstuans, sæcularibus etiam in propriis domibus manentibus prospicere cogitavit. Accidit namque ut, quam plurimi vi et efficaciâ verborum exemplorumque Sancti Francisci excitati, ad pœnitentiæ opera converterentur, eique de cætero adhærere, et eâdem ac ipse lege teneri ac vivere se velle palam profiterentur. Quod Sanctus intelligens, et secum perpendens tantam tamque insolitam cordium commotionem, nisi ab eo qui solus terram commovet,

conturbat ac sanat contritiones ejus [1], provenire non posse, ad Deum, uti in re quâque arduâ vel dubiâ facere solebat, confugit; et cum illius opem impense implorasset, præfati tertii Ordinis fundamenta jecit.

Regulam illius instituti Nicol. IV, Bullâ "Supra montem" die 17 Augusti 1289, solemniter confirmavit, ac multi Romani Pontifices amplexi sunt. Post sex sæcula, Leo XIII Papa, servatâ ejusdem substantiâ, illam hodiernis temporibus accommodavit, mirifice extollens, et speciali epistolâ Encyclicâ cunctis fidelibus obnixe commendavit, die 17 Septemb. 1882.

Seraphicus Pater hujusce triplicis militiæ fundamenta jecit ut simul cum sociis, indeque majore cum fructu regnum debellaret diaboli, et regnum Dei, quod est pacis et caritatis regnum, extenderet.

Voluit Fratres Minores esse quasi milites hostem debellantes ubique terrarum, fratres et sorores tertii Ordinis seu Pœnitentiæ pariter quasi milites, regiones imperio fidei subjectas, præsidio tutantes; pauperes vero sorores quasi arces, quarum preces contemplationesque milites faciunt telis hostium invulnerabiles, armaque eorum victricia reddunt.

985.—2) Ordo F. F. Prædicatorum.—S. Dominicus jam anno 1206 exstitit sanctimonalium fundator, et anno 1215 novum Ordinem mendicantem instituit.

986.—3) Ordo Carmelitarum a Bertholdo filio Comtis Lemovicensis, qui ab anno 1170 cum decem sociis in monte Carmelo eremiticam ducebat vitam. Crescente sociorum numero, Albertus patriarcha Hierosolymitanus eis 1290 scripsit regulam.

Ex Asiâ in Europam transcenderunt, et auctore Innocentio IV, anno 1245, cœnobiticam professi sunt vitam cum aliâ regulâ et inter mendicantes coaptati. Hunc Ordinem reformavit S. Teresia 1568.

(1) Ps. LIX, 4.

987.—4) EREMITÆ S. AUGUSTINI.— Alexander IV Constit. "Licet" 2 Maii 1256, varios eremiticarum cœtus in unum collegit corpus et eis imposuit Regulam S. Augustini, de quâ supra sermo fuit; et vocati sunt Eremitæ S. Augustini et adepti inter mendicantes.

NOTA.— His quatuor ordinibus dein plures accesserunt alii ordines mendicantes [1].

988.— D) **Ex munere militiæ pro causâ fidei et Ecclesiæ** Oriuntur ordines *Militares:* ut

1.— *Ordo Equitum Melitensium (antea vocatus ordo equestrus S. Joannis Hierosolymitani).*

2.— *Ordo Equitum Teutonicorum* [2],

989.— E) **Ex exterioris caritatis officiis** habentur

1) *Ordines ad redimendos captivos* [3],

2) *Ordines Hospitalarii*, qui curam habent infirmorum [4].

II.— De diversis religiosorum regulis et constitutionibus.

990.— Primæ ætatis monachi jam dicebant sese habere regulam, nam, uti aiebant, "Secundum modum et regulam

---

(1) Ut Mercedarii, Trinitarii, Servi B. M. Virginis, Hospitalarii, S. Joannes de Deo, Minimi eremitæ S. Francisci de Paulo, Ordo de Pœnitentia et Societas Jesu.

(2) Cfr. NILLES, S. J. *Zeitschrift*, 1887, 186 seq. 398, Innsbruck.

(3) Nempe 1) ordo SS. Trinitatis Redemptionis captivorum a S. Joanne de Matha et S. Felice de Valois; 2) Ordo B. M. V. de Mercede, Redemptionis captivorum (Mercedarii) a S. Petro Nolasco et S. Raymundo de Pennafort. Binæ hæ congregationes conditæ sunt s. XIII et Regula S. Augustini utuntur.

(4) 1) Sæculo XII exeunte fundata est Congregatio a S. Spiritu in Saxa.

2) Sæculo XIII congregatio F. F. Hospitalium a S. Antonio

3) Sæculo XV congregatio F. F. Cellitarum

4) Sæculo XVI congregatio Fratrum a S. Joanne de Deo.

sub sanctis apostolis constitutam [1] " vitam ducebant suam.

Inquirendum primo est, quid proprie per regulam et constitutiones intelligatur, ut dein perspicias quomodo inde variæ sint religiosæ familiæ.

991.— A) **Quid Regula?**— 1) *Etymologice* " regula ex hoc dicitur, ait Seraphicus Doctor [2], quia " recte ducit [3] "

2) *In Ordine religioso* regula in universum idem est ac norma vivendi religiosis præposita, ut omnes suas actiones dirigere et rectificare valeant ad finem suæ professionis.

3) *In usu juridico Ecclesiæ*, regula strictissime designat regulas antiquorum Ordinum, quæ olim ab Apostolicâ Sede sunt approbatæ et sunt tantummodo quatuor: Regula S. Basilii, S. Benedicti, S. Augustini (cujus supra diximus originem) et S. Francisci.

992.— B) **Constitutiones.**— 1) *Quoad religiosos Ordines qui propriam habent regulam*, constitutiones sunt tanquam articuli organici regulæ, qui determinant officia, modum gubernandi et observationes varias ad finem instituti ordinatas.

2) *Quoad alios religiosos Ordines*, constitutiones habent pro regulâ, dum e contra varii articuli qui modum constitutiones observandi respiciunt, vocantur regulæ: ut v. g. regulæ scholasticorum, regulæ sacerdotum etc. His de significatione verborum regulæ et constitutionum dictis, jam videre est, Frater, inde necessario oriri diversitatem religionum : nam qui habent eamdem regulam proprie talem et constitutiones diversas, jam ab invicem distinguuntur, ut v. g. F. F. Minores Conventuales, Unionis Leoninæ et Capuccini, qui sequuntur eamdem regulam, sed diversas constitutiones. Ita, qui constitutiones ad modum regulæ speciales habent, ipso facto ab invicem distinguuntur.

---

(1) POSSIDIUS. *Vita S. Augustini*, P. L. t. 32, col. 37.

(2) Exposit. super Reg. cap. 1 n. 2.

(3) ISIDOR. *VI Etymolog.* c. 16, n. 1. P. L. t. 82, col. 243.

§ III. — *Varietas Ordinum religiosorum ex eorum conditionibus juridicis.*

993. — Cum status religiosus quando in praxim deducendus est, potestati et moderationi Ecclesiæ subjiciatur, et Ecclesia varia, ut v. g. solemnitatem votorum, ad Ordinem stricte talem requirat, sequitur haberi religiones stricte tales et congregationes simpliciter dictas. Congregationes simpliciter dictæ aliæ sunt vel juris pontificii [1], vel juris diœcesani [2].

ART. II. — De principiis quibus in genere excellentia ordinum religiosorum stabilitur.

994. — Varia consideranda veniunt, Frater, ut excellentiam alicujus religionis e ceteris dijudicare possis. Attendas necesse est 1) ad rationes positivas 2) negativas et 3) juris canonici.

§ 1. — *De rationibus positivis quibus excellentia religionum stabilitur.*

995. — Rationes positivæ illæ sunt quæ ex ipsâ naturâ uniuscujusque religionis proveniunt, nempe I. — consideratio finis et II. — mediorum ad finem.

Principaliter tamen attenditur differentia hæc respectu finis, et *secundario* respectu mediorum, sive *observationum*, quibus ad finem consequendum utitur.

---

(1) Ut v. g. Congregatio F. F. Joannis Baptistæ de la Salle, 2) Congregatio clericorum excalceatorum S. S. Crucis et Passionis D. N. J. C.; Congregatio S. S. Redemptoris.

(2) Hæ congregationes præsertim sunt modernæ et inveniuntur permultæ.

Nam "comparatio quæ est secundum finem, docet S. Thomas [1], est absoluta, eo quod finis propter se quæritur, comparatio quæ est secundum exercitium, est respectiva, quia exercitium non quæritur propter se, sed propter finem."

996. — I. *Consideratio finis* potissima et absoluta ratio igitur est ad excellentiam alicujus Ordinis demonstrandam: quo altior et perfectior enim est finis, eo majorem tribuit excellentiam religioni quæ ad ipsum ordinatur. Unde *ratione finis* id affirmare possumus A) vitam contemplativam simpliciter meliorem est quam vitam activam et B) vitam mixtam perfectiorem est quam duas alias [2].

997. — A) Vita contemplativa simpliciter melior est quam vita activa.

Hoc apprime docet S. Evangelium [3], Christus Mariam, quæ contemplationi verborum Domini vacabat, ejusque dulcedine et amore fruebatur, contra Martham defendit dicens: *Optimam partem elegit.*

Ex hoc S. Scripturæ loco apparet, duplex inveniri genus operationum: unum ad internam considerationem, aliud ad externam operationem pertinens. Christus enim de meliore Mariæ parte loquens innuit esse et aliam partem cui Martha incumbebat, Christo ministrando. Hanc partem non dicit malam, sed tamen non æque perfectam. Unde clare vides, Frater, vitam contemplativam activæ perfectione præstare.

998. — B) Vita mixta perfectior est quam duæ aliæ.

1) " *Melius enim est illuminari et illuminare quam illuminari tantum; calere et calefacere quam calere tantum. Ita*

---

(1) 2. 2. q. 188, a. 6 c.—(2) Cfr. P. Piatus o. c. t. 1. P. I. cap. 3, q. 33; P. Vermeersch o. c. T. I. n. 92 seq; Suarez. o. c. Tr. 9, L. 1, cap. 5 et 6. —(3) Luc. x. 38-42.

melius est contemplari et contemplata aliis tradere quam solummodo contemplari, seu contemplationi vacare. [1] " Etenim:

a) Illud vitæ genus in statu viæ præferendum, quod secundum se, magis confert ad crescendum amplius in perfectione. Jam vero perfectio vitæ christianæ in perfectione caritatis consistit. Caritas Dei autem ex extensione ad proximum perficitur, siquidem hæc dilectio ipsius Dei dilectionem includit. [2] Et licet simpliciter magis meritorium sit diligere Deum quam diligere proximum, siquidem ipsa Scriptura dicit: *Hoc est maximum mandatum, secundum autem est diligere proximum* [3], attamen ipsamet privatio dulcedinis propter Deum suscepta tam magni est coram Deo ut contemplationi præferenda sit. Etenim verus amicus quærit magis bonum amici, quam de ejus præsentiâ delectari. En ipsa verba angelici Doctoris [4]:

" Quanto contemplatio melior est actione, tanto plus pro Deo videtur facere, qui dilectæ contemplationis aliquod detrimentum patitur, ut saluti proximorum propter Deum intendat. Intendere igitur saluti proximorum cum aliquo detrimento contemplationis propter amorem Dei et proximi, ad majorem perfectionem caritatis videtur pertinere, quam si aliquis in tantum dulcedine contemplationis inhæret, quod nullo modo eam deserere vellet, etiam propter salutem aliorum, propter quam Apostolus non solum prolongationem præsentis vitæ, sed etiam a contemplatione cœlestis patriæ retardari ad tempus voluit propter proximorum salutem."

Dein *b)* Vita contemplativa etiam aliquam requirit actionem, nam, seclusis specialibus privilegiis, impossibile est ut homo in hoc exilio sine intermissione in actuali consideratione Dei perseveret. Si autem actualis contemplatio aliquando interrumpenda est, nullo meliori ac fructuosiori

(1) P. PIATUS l. c.; cfr. S. Thomas 2. 2. q. 188, a. 6. c.—(2) S. THOM. 2. 2. q. 27, a. 8.—(3) MATTH. XXII, 38, 39.—(4) S. THOM. *De perfect. vit. spirit.* c. 23.

modo interpolari potest, quam exercitio actuum supernaturalium et divinorum caritatis erga proximum.

Demum *c)* in vitâ mixtâ plurimæ inveniuntur occasiones exercendi simul cum caritate alias virtutes, sustinendo v. g. labores et patiendo malum propter majorem Dei gloriam.

999. — 2) *Vita mixta magis est conformis vitæ episcoporum, apostolorum et ipsiusmet Christi, qui est perfectionis typus et exemplar perfectissimum* [1].

a) STATUS EPISCOPORUM omnium est perfectissimus, uti jam vidimus [2].

Participatio ergo actionum statûs episcopalis debet augere perfectionem statûs religiosi.

b) Apostoli, imo Christus Dominus munus vitæ contemplativæ et activæ suis temporibus exercuerunt.

Christum vitam duxisse mixtam nemo non videt. Hanc normam vivendi quam perfectissime imitati sunt apostoli, qui duxerunt *vitam activam*, siquidem " ad hoc vocati sunt, ut fierent piscatores hominum, et Christi nomen portarent coram gentibus, et regibus, ac filiis Israel: et in hâc vocatione et munere explendo vitam suam consumpserunt. Nihilominus tamen dubitari non potest, quin simul vitam contemplativam cum perfectione intenderint; nam in omni perfectione primitias Spiritûs Sancti habuerunt; et quamdiu cum Christo conversati sunt, in eo genere vitæ ab ipso sine dubio fuerunt instructi, nam cum ipso in horto ad orandum sæpe conveniebant, cum eo in montes secedebant, cum Deo pernoctabant in oratione Dei, vel saltem exemplo et doctrinâ ad hoc paulatim inducebantur; postea vero ascendente Christo in cœlum, jussi sunt sedere, et orare donec induerentur Spiritu Sancto; rursus post adventum Spiritûs Sancti ipsi dixerunt: *nos orationi et verbo instantes erimus.* [3] " Etenim Petrus orationi ante prandium vacabat, quando circa vocationem gentium illuminatus est, [4] Paulus etiam

(1) P. PIATUS l. c.— (2) Cfr. n. 907 seq. — (3) SUAREZ l. c. cap. VI, n. 17. — (4) ACT. X. 9 et seq.

de suâ excellentissimâ contemplatione scribit [1]. Inde clare sequitur, vitam mixtam ceteris excellentiorem et magis meritoriam esse. Optimum quidem est auxilium orationis, sed in præsenti ordine, non sufficit. Deus enim salutem hominum non per seipsum solum, sed etiam per homines operari decrevit; et ideo necesse est ut inveniantur non solum qui orent, sed qui cum ipso animarum saluti incumbant. At, quæso, Frater, quid perfectius quam Deo similem fieri cooperando cum ipso ad salutem animarum; eo magis quod ipsa oratio in hoc statu non excluditur, imo requiritur?

II. ***Consideratio mediorum ad finem.***

1000. — Prudentia id exigit ut per media apta finis intendatur. At hæc media aptitudine, genere et numero inter se differre possunt, et sic alia aliis esse præstantiora ad finem assequendum. Enimvero

a) Aptitudine. — Quo perfectius media accommodantur fini, eo perfectior evadit religio quæ hanc possidet proportionem. [2]

b) Genere. — In eodem genere inveniuntur actus aliis præstantiores. "Sicut inter opera activæ vitæ potius est redimere captivos, quam recipere hospites, ait S. Thomas [3], et in operibus vitæ contemplativæ potior est oratio quam lectio." Inde religio, quæ perfectioribus utitur actibus, aliis melior evadit.

c) Numero. — Potest etiam attendi præeminentia, si una religio ad plura media ordinatur, quam alia: nam qui per plura tendit in finem, per se efficaciorem habet motum. [4]

Unde licet finis idem sit in pluribus religionibus, secundarie ratione mediorum inter se differre possunt.

---

(1) II Cor. XII, et alibi.—(2) S. Thomas 2. 2. q. 188, a. 6 c.—(3) l. c. — (4) Cfr. S. Thomas l. c.

§ II. — *De rationibus negativis quibus excellentia religionum stabilitur.*

1001. — Rationes negativæ illæ sunt quæ proveniunt ex consideratione eorum quæ religiosum amovent ab iis quæ perfectioni magis adversari nota sunt. Perfectioni autem obstat triplex concupiscentia. At severitas normæ vivendi ac disciplinæ occasionibus peccati et ipsi peccato quam maxime obstat. Unde religio quæ hâc severitate pollet, aliis quæ illâ destitutæ sunt præemineat, omnino necesse est. Imo religio quæ in principalioribus studiis est severior, perfectione præstat ei quæ in minoribus; v. g. vitium quod perfectioni præ ceteris obstat superbia est vitæ. Inde religio quæ vigore obedientiæ eminet, melior est quam illa quæ vigore paupertatis.

§ III. — *De rationibus juris canonici ad excellentiam religionum stabiliendam.*

1002. — *In foro canonico.* — 1° Ad excellentiam religionum stabiliendam attenditur principaliter, ut clare patet ex praxi Ecclesiæ, ad severitatem cultûs exterioris. Cum autem religio carthusiana ut strictissima habeatur, transitus aliorum religiosorum ad religionem carthusianam ut ad perfectiorem in se licitus proclamatur.

2. — Per se etiam perfectiores habentur religiones clericorum quam laicorum, et 3° religiones stricte tales quam illæ quæ in aliquibus accidentalibus, v. g. solemnitate votorum, deficiunt.

* Art. III. — De excellentiâ religionis minoriticæ.

1003. — Adeo unicuique pulchrum ac excellens suum institutum videtur, optime notat P. Carolus Stengelius [1], ut

(1) *Corona lucida in cœlo jam fulgens* a R. A. F. Carolo Stengelio, O. S. Bened. Augustæ, 1621. P. I, cap. 2.

illud omnibus aliis præferendum merito censeat. " Ex quo, ait, variæ sunt inter Religiones exortæ quæstiones, et controversiæ magnæ de excellentiâ, ac perfectione uniuscujusque regulæ seu instituti : ita ut fere nulla sit, quæ aliis etiam perfectissimis palmam concedere velit : cum tamen fere et absque ullâ dubitatione, multæ sint aliis digniores ac perfectiores. " Et cum laudato auctore dicimus, Frater, nostræ intentionis non esse " sanctissimis aliarum Religionum institutis quidquam derogare, sed tantum nostræ Regulæ, ac instituti perfectionem ejus athletis, ac professoribus ostendere : ut sic ad bravium suæ vocationis alacrius ac velocius expediti currant, eique tenacius inhæreant."

Cum autem 1) finis status Franciscani sit vita mixta; et 2) media quibus religio minoritica utitur sint perfectissime ad finem proportionata ; cum 3) severitas cultûs et disciplinæ clare in regulâ appareat atque 4) Ecclesia Ordinem Franciscanum solemniter approbaverit, merito excellentiam nostri instituti extollere possumus, non quidem, Frater, ut de altissimâ tuâ professione superbe gloriaris, sed ut cum timore et tremore tuam salutem operans, potius reddendam Deo rationem pertimescas.

§ I.— *De fine statûs Franciscani.*

1004.— Imprimis videndum est, quam ad metam nostri instituti cursus dirigatur. Hæc consideratio, cum magni sit momenti, sequentia lucide stabilire nitamur: *a)* finem statûs Franciscani esse vitam mixtam, ita tamen ut *b)* vita contemplativa intendatur primario, activa vero secundario et proinde *c)* ex abundantiâ contemplationis actioni incumbendum sit ; demum *a)* ad hunc scopum, ratione statûs, teneri omnes Fratres Minores.

A) Finis statûs Franciscani est vita mixta.

1005. — Finem ordinis Fratrum Minorum esse vitam

mixtam dilucide apparet e S. Patris vitâ, S. Regulâ et Constitutionibus Capuccinorum [1]

1. E VITA S. PATRIS.— "Corpore peregrinus a Domino, narrat Celano [2], vir Dei Franciscus præsentem spiritum cœlo contendebat inferre, et angelorum civem jam factum solus carnis paries disjungebat." Nihilominus tamen exemplo Christi motus et revelatione Fratris Silvestri et S. Claræ de voluntate Dei edoctus, contemplationi semper jungebat actionem. [3] "Mos ejus erat, teste Celano [4], tempus impensum sibi ad gratiam promerendam dividere, et, prout oportere videbat, aliud proximorum lucris impendere, aliud contemplationis beatis secessibus consummare."

2. E S. REGULÂ.— Filios suos ad perfectionem informans, utrumque munus ut finem eis proponit Seraphicus Pater. De vitâ contemplativâ agit in capite tertio: "Clerici faciant divinum officium secundum ordinem S. Romanæ Ecclesiæ;" capite 5 et 10: "Attendant Fratres, quod super omnia desiderare debent, habere Spiritum Domini, et sanctam ejus operationem: Orare semper ad Deum puro corde." De vitâ activâ vero sermo fit in capite 9, ubi de prædicatoribus; et in capite 12, ubi de missionariis.

3. E CONSTITUTIONIBUS. — Intentionis Seraphici Patris memores constitutiones nostræ hunc nobilissimum scopum omnibus fratribus proponunt, et "sicque operantes, aiunt [5], modo Marthæ ministerio, modo Mariæ silentio vacando, Christum in vitâ mixtâ sequentur, qui post orationem in monte, prædicaturus descendebat in templum."

B) **Vita contemplativa intenditur primario, activa vero secundario.**

1006.— Etenim religio mixta 1) *per se* contemplativa est et non tantum propter actionem, sed propter se contempla-

(1) Cfr. supra n. 981 seq.— (2) Leg. 2. cap. 61, p. 240.— (3) S. BONAVENTURA. *Legenda S. Francisc.* cap. 12 n. 2.— (4) Leg. 1. Opusc. de duobus annis et de felici obitu S. P. N. Franc. cap. 2. p. 94.— (5) Cap. 9, n. 188.

tionem amplectitur. Contemplatio igitur non est pure medium ad finem, sed secundum se maxime appetibilis. Licet negari non possit, docet Suarez [1], "quin actus vitæ contemplativæ in tali religione ad actionem ordinentur, nam studium, lectio, meditatio frequentius ad serviendum proximis referuntur: imo etiam ipsa ratio, et unio cum Deo, propter illum finem potest rectissime desiderari et procurari, quia eo quis est aptius instrumentum Dei in auxilio animarum, quo ipse fuerit Deo junctior. Nihilominus tamen etiam debet per se ac præcipue intendi contemplatio etiam in tali religione."

2) Dein, uti jam vidimus [2], status religiosus non est ministerium, sed norma vivendi, in quâ magis *per se* intenditur propria perfectio quam proximorum. Jam vero, perfectio propria in contemplatione maxime sistit, et in eâ comparatur.

Quare merito Seraphicus Pater id in suâ Regulâ [3] dicit, quod orationi seu contemplationi "debent cetera temporalia deservire."

C) **Actioni ex abundantiâ contemplationis incumbendum est.**

1007.— Hæc conditio ratione vitæ mixtæ omnino requiritur, Frater. "Quæ tamen perfectio caritatis in plerisque proximorum utilitati vacantibus non invenitur, dicit D. Thomas [4], quos magis *contemplativæ vitæ tædium* ad exteriora deducit, quam in desiderio habeatur, ut sic in eis ad perfectionem dilectionis pertineat, quod eam tanquam bonum dilectum ad tempus postponant." Quapropter Seraphicus Pater omnino exigit ut in Ordine orationi seu contemplationi cetera omnia deserviant [5], et Constitutiones Ordinis [6] hæc memoranda et sæpe meditanda habent verba: Prædicatores "ne cum aliis prædicaverint, ipsi reprobi efficiantur [7],

(1) O. c. tr. 9. L. 1, cap. 5, n. 18. — (2) Cfr. n. 915. — (3) Cap. V. — (4) *De perfect. vit. spir.* cap. 23. — (5) Reg. cap. V. — (6) Cap. IX, n. 188.— (7) I Cor. IX, 27.

deserant aliquando populorum frequentiam, et ad solitudinem redeant, atque cum dulcissimo nostro Salvatore [1] sanctæ orationis et contemplationis montem ascendant, ibique tamdiu maneant quamdiu Deo repleti, vi Spiritûs Sancti ad divinas in mundum effundendas gratias moveantur, enitentes, ad instar Seraphim, divini amoris flammis accendi, quo ferventes, alios inflammare valeant.

D) **Omnes S. Francisci alumni ad hunc duplicem finem tenentur.**

1008.— Quoad finem Ordinis primarium, nempe contemplationem, res est manifesta; sed cum largitio munerum spiritualium et divinorum solis competat sacerdotibus, inquirere possis an laici et clerici nondum sacris initiati etiam ad hunc scopum teneantur. Utique, Frater, sed sacerdotes modo directo, alii vero indirecto. Omnes enim quotquot sumus, unum corpus, unum Ordinem religiosum constituimus ad eumdem finem ordinatum. Ut autem finem consequi et adipisci valeamus, varia requiruntur, et ut optime notat P. Albertus a Bulsano [2]: "non inepte a nonnullis Religio Seraphica comparatur cum curru, quem trahebant *quatuor animalia, quæ ubi erat impetus Spiritûs, illuc gradiebantur* [3]." In istis quatuor animalibus varii labores et officia indigitantur, quibus Fratres Minores occupari possunt.

Per *hominem* enim denotantur scientia præditi ad animas docendas et gubernandas, per *leonem* extra conventum mendicantes, per *bovem* opera servilia in conventu exercentes, et per *aquilam* dono contemplationis gaudentes. De omnibus his id dici potest, quod [4] legitur: "*Dignus est operarius mercede suâ.* Etenim quemadmodum in bello, ad consequendam de hoste victoriam necesse est alios in acie confligere, alios ad impedimenta manere, simili modo in nostro proposito res se habet.

(1) MATTH. XIV, 23. — (2) Exposit. Reg. cap. V, 68. — (3) EZECH. I, 12. — (4) LUC. X, 7.

Omnes simul, " aciem militum Christi ad magnum istud animarum convertendarum opus, collectorum constituimus, ait P. Rodericius [1]: nec posset hic concionari, ille confitentibus aures dare, nec alius in scholâ docere, alius lectioni suæ incumbere, si non esset, qui temporalia curaret. Unde qui hisce intendit, suo etiam modo concionatur, confessiones excipit, animas lucratur, et omnis victoriæ fructuum, qui colliguntur, est particeps... Si enim illis solis qui prædicant, confessiones audiunt, et immediate cum proximo agunt, omnis attribuendus esset fructus, qui in proximo sit, ut citatus auctor dicit [2], magnam sane præ aliis superiores in societate dolendi conquirendique occasionem haberent: hi enim minus quam reliqui, particularibus his ministeriis possunt intendere, puta generalis et provinciales, qui satis quod agant habent, etc."

§ II. — *De aptitudine mediorum in Ordine franciscano ad finem mixtam aptissime ordinatorum.*

1009. — Dominus Seraphico Patri revelavit ipsum debere secundum formam sancti Evangelii vivere. Voluntatem autem Dei paucis verbis suis fratribus in regulâ præscripsit.

AD VITAM CONTEMPLATIVAM ordinat [3] divinum officium seu sacram liturgiam secundum ordinem S. Romanæ Ecclesiæ, et orationem quasi perpetuam [4].

Hæc media magis explicite determinant nostræ Constitutiones, quæ statuunt [5] ut diu noctuque in conventibus nostris Dominum laudemus, et [6] duæ horæ vel tempora quolibet die deputentur pro oratione mentali.

Insuper fratres incitant [7] ut in fervore augendo ad exemplum Seraphici Patris, diligentiam adhibeant quam maxi-

(1) O. c. P. 3, Tr. I, c. 3, n. 3. — (2) L. c. n. 7. — (3) Reg. cap. III. — (4) Reg. cap. V et X. — (5) Constit. O. M. C. cap. III, n. 47. — (6) Cap. III, n. 56. — (7) Constit. append. I, § I.

mam " pietatis actibus, piis meditationibus, devotis jaculatoriis precibus, sese continuo exercentes..., speciatim vero (curantes) lectionem spiritualem, sanctissimi Sacramenti visitationem, necnon B. Mariæ Virginis Rosarii recitationem."

Demum hortantur omnes [1] " ut suam conscientiam quotidie mane ac sero excutiant, et spirituali mensili recessui in privatum, necnon annuo in commune peragendo vacent.

AD VITAM AUTEM ACTIVAM ordinat B. Pater prædicationes inter fideles [2] et infideles [3]. Dein *labores* omnes quæ pertinent ad honestatem [4], præstando nempe secundum circumstantias Ecclesiæ membris omnia caritatis opera.

Ut his mediis fratres perfectissimo modo utantur, Constitutiones recte ordinant *labores* [5], præsertim tamen *studia* et omnia ad hæc requisita [6]. Licet variæ inveniantur religiones quæ modo perfectiori uni alterive muneri vitæ contemplativæ incumbant, v. g. silentio quasi perpetuo, splendori sacræ liturgiæ, sciendum tamen est, Frater, cum supradicta media in Ordine Minoritico aptissime ordinentur ad suum nobilissimum scopum, imitationem nempe Christi per vitam mixtam, eadem pro nobis, præ ceteris omnibus, perfectissima inveniri.

Ut hæc optime percipias, tria sequentia potissimum consideres, omnino oportet; nempe: *a)* Bonitatem mediorum præcipue determinari ex fine, *b)* ex caritate quâ opus ad finem dirigitur et demum *c)* ex fructibus qui ex influxu mediorum producuntur.

Jam vero, sub hoc triplici aspectu considerata, affirmare possumus media in Ordine Minoritico præscripta excellentiam probare singularem.

1010. — A) ***Bonitas mediorum ex fine maxime determinatur.***

(1) Constit. ibidem. — (2) Reg. cap. IX. — (3) Reg. cap. XII. — (4) Reg. cap. V. — (5) Const. cap. V. — (6) Const. cap. IX.

Attendendum est, ait Suarez [1], "In medium duplicem bonitatem posse spectari; unam quam habent ex propriis objectis, et quatenus sunt actus talium virtutum, temperantiæ, pœnitentiæ, etc; aliam, quam habent in ordine ad finem consequendum.

Supposità ergo majori perfectione finis, major etiam perfectio mediorum magis spectanda est sub hâc posteriori consideratione, quam sub priori, quia perfectio rei consistit in consecutione finis. Si ergo finis est perfectior, illa media, quæ juvant ad perfectius illum consequendum, magis ad perfectionem simpliciter juvant, etiamsi ex propriis objectis tantam perfectionem non habeant; nam per illa perfectius attingitur talis finis. Unde si fuerint illi adæquata, et quasi totaliter illum attingentia, erunt perfectissima, quidquid sit de aliâ bonitate quam ex objecto habere possunt."

Media igitur Franciscanorum, utpote ad vitam mixtam ordinata, quæ est vita activa perfectior, ex hoc capite, per se, perfectissima haberi possunt.

B) ***Bonitas mediorum maxime attenditur secundum perfectionem caritatis qua ad finem dirigantur.***

1011.— Seraphicus Bonaventura [2], de perfectione Christi operum agens, hæc habet verba: "Cum loquimur de Christi operibus, potest fieri sermo de ejus opere *interiori*, aut *exteriori*. *Interius* dicimus opus operans, *exterius* opus operatum. Omne autem opus Christi operans sive *interius* est perfectissimum, quia ex perfectissimâ caritate processit, et est actus perfectissimæ voluntatis et virtutis. Opus vero ejus *exterius* in se consideratum aliquando fuit perfectum de genere actûs, utpote morti se offerre, vel *animam pro ovibus ponere* [3]; aliquando imperfectum, ut a facie persequentium fugere, ut se ipsum abscondere, ut pro amotione calicis exorare. Verumtamen hoc opus, relate ad Christi caritatem et rationem

(1) O. c. T. 9, L. 1, cap. 6, n. 32.— (2) *Apolog. Paup.* cap. 1, n. 10.— (3) JOANN. X, 11, 15.

et causam, quare hoc faciebat, et ad personam suam, efficitur perfectissimum."

Et quidem ex abundantiâ caritatis Dei, uti vidimus [1], proximo condescendere, opus est perfectissimum. Et quo magis crescit amor Dei, eo magis hæc condescensio fit perfectior. Quare S. Augustinus [2] merito dicere potuit: "Sublimius aliquid fecit Paulus, quam fuerat opus, quod fecerat Christus, nec tamen Paulus sublimius Christo, imo Christus sublimius, quia misericordius."—"Quia ipsa condescensio Christi, ut Seraphicus Doctor notat [3], quâ Christus membris condescendebat infirmis et imperfectis, ex sublimitate procedebat perfectissimæ caritatis."

Sanctus autem Bernardus de hâc veritate edoctus, et de his Christi verbis tractans: *Si fieri potest, transeat a me calix iste,* exclamare potuit [4]: "Agnosco in duce belli pusillanimorum trepidationem, agnosco ægroti vocem in medico, agnosco infirmantem gallinam cum pullis, considero caritatem, stupeo miserationem, expavesco dignationem... Quid magnum fuerat, Domine Jesu, si accedente horâ propter quam veneras, intrepidus stares, tanquam qui *potestatem habebas ponendi animam tuam, et nemo eam tollebat a te* [5]. Aut non longe gloriosius fuit, quandoquidem totum propter nos agebatur, ut non modo passio corporis, sed etiam cordis affectio pro nobis faceret, ut quos vivificabat mors tua, nihilominus et trepidatio robustos, et mæstitia lætos, et tædium alacres, et turbatio quietos faceret, et desolatio consolatos?" Religiosi igitur Franciscani, quando ex caritate Dei, ut Seraphicus Pater præscribit, ad proximum condescendunt, licet minus perfecte variis vitæ contemplativæ operibus insistant, opus tamen peragunt perfectissimum.

1012. — C) ***De bonitate mediorum ex fructibus.***

Si ex fructu arbor cognoscitur, quis de bonitate arboris

(1) Cfr. n. 400. — (2) Super Ps. 103, Serm. 3 n. 11, apud S. Bonav. l. c. P. L. t. 37, col. 1368.— (3) L. c.— (4) Sermo I. *de S. Andrea,* n. 5 seq. P. L. t. 183. col. 506 seq. — (5) JOAN. X, 18.

franciscanæ dubitare possit? Historiâ enim teste, Ordo Minoriticus per media quibus utitur *a)* Ecclesiæ Christi permulta contulit beneficia et *b)* suos alumnos, iisdem rite utentibus, ad apicem perduxit perfectionis et sanctitatis.

1013.— *a)* ORDO FRANCISCANUS PER MEDIA QUIBUS UTITUR PERMULTA ECCLESIÆ CONTULIT BENEFICIA.

Sicut Ecclesia quæ, uti loquitur Pius X [1], "per amplum historiæ suæ cursum semper et ubique clare ostendit sibi inesse miram virtutem accommodationis mutabilibus consociationis civilis adjunctis, ita ut, salvis semper integritate atque immutabilitate fidei et morum, salvisque pariter suis juribus, facile cedat ac se accommodet circa ea, quæ sunt contingentia ac fortuita temporum vicibus, novisque societatis necessitatibus," ita Ordo Franciscanus. S. Pater enim tali perfectissimo modo suam ordinavit regulam ut, salvis fine et mediis essentialibus, se facile accommodet "secundum loca et tempora," omnibus Ecclesiæ necessitatibus. Hoc probat

1117. — I. De notione professionis religiosæ. — 1) "Professio *in universum* est rei cujuspiam palam facta confessio, potissimumque dicitur de statûs alicujus vel conditionis apertâ susceptione [1]." Unde

2) Professio religiosa nihil aliud est quam susceptio statûs religiosi, qui suâ ipsâ naturâ requirit ut publice fiat.

3) Ast cum status religiosus, uti vidimus [2], sicuti omnes vivendi normæ ad salutem ordinatæ, Ecclesiæ subjiciat magisterio atque imperio, et Ecclesia præter alias conditiones exigat emissionem trium votorum substantialium, atque traditionem formalem et disertam suiipsius religioni determinatæ et approbatæ, professio religiosa, *sensu stricto*, *inspecto jure Ecclesiæ*, definiri potest: Contractus sacer ultro citroque obligatorius quo quis per vota se Deo et Religioni ab Ecclesiâ approbatæ tradit, et Religio vicissim hujusmodi traditionem acceptat, cum onere ipsum voventem retinendi et tanquam filium juxta institutum et regulas tractandi.

1118. — NOTA 1° — Professio religiosa emitti potest in religione, in Ordine, in religione juris pontificii vel diœcesanæ, in religione clericali vel laicali.

Juxta Codicem Juris can. 488 veniunt nomine:

1. — *Religionis*, societas a legitimâ ecclesiasticâ auctoritate approbata, in quâ sodales, secundum proprias ipsius societatis leges, vota publica, perpetua vel temporaria, elapso tamen tempore renovanda, nuncupant, atque ita ad evangelicam perfectionem tendunt.

2. — *Ordinis*, religio in quâ vota solemnia nuncupantur; *congregationis monasticæ*, plurium monasteriorum sui juris

(1) P. VERMEERSCH, o. c. t. 1, n. 205.—(2) Cfr. n. 993.

inter se conjunctio sub eodem superiore; *religionis exemptæ*, religio sive votorum solemnium sive simplicium, a jurisdictione Ordinarii loci subducta; *congregationis religiosæ* vel *congregationis* simpliciter, religio in quâ vota dumtaxat simplicia sive perpetua sive temporaria emittuntur.

3. — *Religionis juris Pontificii*, religio quæ vel approbationem vel saltem laudis decretum ab Apostolicâ Sede est consecuta; *juris diœcesani*, religio quæ ab Ordinariis erecta, hoc laudis decretum nondum obtinuit;

4. — *Religionis clericalis*, religio cujus plerique sodales sacerdotio augentur; secus est *laicalis*.

1119. — NOTA 2° — Juxta eumdem Codicem can. 488, n° 7 veniunt nomine *Religiosorum*, qui vota nuncuparunt in aliquâ religione; *religiosorum votorum simplicium*, qui in congregatione religiosâ; *regularium*, qui in Ordine; *sororum*, religiosæ votorum simplicium; *monialium*, religiosæ votorum solemnium aut, nisi ex rei naturâ, vel ex contextu sermonis aliud constet, religiosæ quarum vota ex instituto sunt solemnia, sed pro aliquibus locis ex Apostolicæ Sedis præscripto sunt simplicia.

1120. — II. **Quid professio religiosa importat.** — Ex dictis de notione professionis sequitur eam necessario duo importare, quæ sedulo attendenda sunt, scilicet 1) emissionem trium votorum substantialium et 2) duplicem traditionem, Deo nempe et Ordini faciendam.

1121. — 1. ***De emissione trium votorum substantialium.*** — Initio professio fiebat sine obligatione votorum saltem formalium, præsertim paupertatis [1]. Hodie professio et vota materialiter sunt conjuncta, licet tamen inter se formaliter sint distincta.

MATERIALITER SUNT CONJUNCTA. — Hodie Ecclesia exigit ut susceptio statûs religiosi fiat emittendo tria vota substan-

(1) P. VERMEERSCH, l. c. n. 205.

tialia, unde sequitur, Frater, professionem religiosam et tria vota substantialia, inspecto hodierno Ecclesiæ jure, *materialiter* esse conjuncta, et professionem religiosam dicere: susceptionem statûs religiosi per tria vota evangelica.

FORMALITER SUNT DISTINCTA.— Attamen *per se* differentia *formalis* invenitur inter professionem facere et vota religiosa emittere. "Quamvis hodie nulla sit professio sine votis, ait P. Vermeersch [1], ambo tamen sunt inter se *formaliter* distincta, ita ut *professio* religiosa per se mere dicat confessionem ejus qui ponit se in Ordine eorum qui contendunt ad perfectionem christianæ caritatis. Conjuncta vota sunt promissio Deo facta eorum qui ad perfectionem dirigunt." Etenim vota existere possunt sine assensu Ecclesiæ, et nihil prohibet ut fideles etiam hodie tria consilia evangelica voveant, quin tamen aliquam Religionem ingrediantur, sed professio indiget aliquâ Dei acceptatione, quæ per Ecclesiam est perficienda [2].

1122.— 2. ***De traditione Deo et Ordini faciendâ.***— Traditio est donatio. Hodie ab Ecclesiâ requiritur ut homo qui statum religiosum vovere intendit, sese formaliter et diserte tradat in servum tum Deo, tum alicui Ordini religioso determinato et ab Ecclesiâ approbato. Dicemus igitur primo de traditione Deo et dein de traditione Ordini faciendâ.

1123.— A) **De traditione Deo faciendâ.**— Hic attendas necesse est, Frater, 1) ad differentiam inter promissionem seu votum et traditionem, 2) ad possibilitatem traditionis ex parte hominis, 3) ad modum quo Deus hanc servitutem accipiat.

1124.— 1) DE DIFFERENTIÂ INTER PROMISSIONEM ET TRADITIONEM.— Hanc differentiam optime exponit Bouix [3]: "Aliud

(1) O. c. t. 1, n. 206.— (2) Cfr. P. Vermeersch, ibid. — (3) O. c. t. 1, p. 49.

est rem promittere, ait, aliud eam tradere. Qui promisit se rem daturum alicui, tenetur quidem, vi hujus promissionis, rem illam de facto tradere illi cui eam promisit. At vero persona, cui promissio facta est, non acquirit dominium illius rei antequam tradita ipsi fuerit, et donationem ipsa acceptaverit. Unde si promittens renuat promissionem explere, peccabit ob violatam promissionem, non autem peccati injustitiæ seu furti reus erit; quia res promissa, sed non tradita, nondum est aliena seu alterius; ac proinde retinendo illam, non retinet rem alienam, seu non committit furtum, imo si promittens rem de facto tradat, sed donationem non acceptet persona cui facta est promissio, remanet penes promittentem rei illius dominium, et ipse ab obligatione promissionis explendæ jam solutus est."

Inde vides, Frater, quoad Deum etiam aliud esse promissionem seu votum emittere, et aliud rem promissam tradere. Primo enim emittitur votum, dein exequitur votum rem promissam tradendo.

Sed, dices forte, cum Deus omnium creaturarum Dominus sit, quomodo ergo homo potest seipsum Deo mancipare et in servum perfectum tradere?

1125.—2) DE POSSIBILITATE TRADITIONIS EX PARTE VOVENTIS.— Præter essentiale dominium quod Deus habet in omnes homines et in res quaslibet, capax est acquirendi specialis dominii circa aliquem hominem et rem aliquam. Nam essentiale Dei dominium liberam homini in multis reliquit tum sui ipsius, tum multarum rerum dispositionem. Potest nempe homo, tum de seipso, tum de rebus externis pro arbitrio suo disponere... Quam donationem seu mancipationem si Deus acceptet, acquiret in istum hominem dominium illud speciale, a dominio essentiali distinctum, vi cujus homo iste jam non poterit, sicut antea, de se et rebus suis libere disponere, quin justitiam violet, et furtum faciat; quod furtum sacrilegii rationem habebit, quia erit circa rem Deo dona-

tam [1]." Religioso igitur possibile est, Frater, per suam professionem, Deo in suam personam tradere novum titulum, vi cujus fiat ejus servus peculiaris, et, uti vidimus [2], holocaustum suavitatis.

Cum autem traditio seu donatio a donatario accipi debeat, siquidem alias non esset donatio, sed tantummodo promissio, ultra quærere potes, Frater, quomodo Deus rem promissam accipiat.

1126.—3) De modo quo Deus rem promissam accipiat.— Deus licet *a)* immediate per seipsum promissionem seu votum accipiat, *b)* traditionem rei promissæ tamen non immediate accipit, sed *c)* mediate per Ecclesiam.

a) Deus immediate per seipsum vota accipit.— "Nam, ait Suarez [3], promissio ipsi Deo immediate fieri potest, et illi placere, si sit de re sibi gratâ: et hoc satis est, ut habeat suum effectum, qui tantum est obligare promittentem ad faciendum quod promisit."

b) Deus non acceptat immediate per seipsum traditionem. Ratio est quia Deus, secundum præsentem ordinem Providentiæ, "non suscipit peculiarem curam gubernandi privatam personam immediate per seipsum. Et ideo donatio sic facta Deo, vel esset vana, otiosa, vel quasi tentans Deum, ab illo immediatum regimen exigendo, et propterea illi non placet, nec ab ipso immediate acceptatur [4]."

c) Deus donationem acceptat mediate per Ecclesiam.— Cum Deus per seipsum donationem non acceptet, "recurrendum est ad auctoritatem divinitus institutam ad hunc effectum, quæque Dei locum gerit, id est ad Ecclesiam Christi, pressius ad eos qui acceperunt potestatem ligandi et solvendi, quique positi sunt a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei: ad Episcopos, qui per se vel per delegatos suos, oblationem voventis Deo factam, nomine Dei accipiant." [5]

---

(1) Bouix, l. c.—(2) Cfr. n. 926.—(3) De Relig. Tract. 7, L. 2, c. 4, n. 7-8.— (4) Suarez. l. c. n. 8.— (5) P. Steiger. o. c. p. 174.

Etsi Episcopi *per se* vota Deo facta nomine Dei acceptare valent, *de facto* tamen Concilium Lateranense IV, (1215) hanc causam Romano Pontifici reservavit, ideoque ipse approbat religiones juris Pontificii judicio peremptorio in facie totius Ecclesiæ. Ipse pariter R. Pontifex Superioribus religionum facultatem facit vota respective nomine religionis vel Dei acceptandi. Recedens a primâ severitate concilii Lateranensis, R. Pontifex hodie utrumque jus approbandi et delegandi qui vota nomine religionis accipiat, Episcopis restituit quoad religiones juris diœcesani, ut videre est in codice juris can. 488. Hâc igitur ratione oblatio voventis Deo proposita, a Deo acceptatur et locum obtinet vera traditio sui Deo facta. [1]

1127.— B) **De traditione Ordini faciendâ.**— Concilium Lateranense IV non tantum Romano Pontifici reservavit potestatem per seipsum et suos delegatos vota religiosa nomine Dei acceptandi, sed insuper exclusit a publicâ Dei servitute omnem formam vivendi eremiticam, independentem, omnibusque religiosis injunxit vitam cœnobiticam, seu communem sub prælato. Unde præter donationem Deo faciendam, prærequiritur donatio alicui Ordini determinato et ab Ecclesiâ approbato facienda.

Dicemus igitur 1) quid proprie per hanc traditionem intelligatur, inde videre licebit 2) quomodo hodie de facto homo prius se Ordini determinato mancipet et dein ipsi Deo.

1128.— 1) *Quid est traditio Ordini facienda.*— Hæc traditio, Frater, est promissio facta alicui religioni determinatæ, ab Ecclesiâ approbatæ, quam Superior religionis acceptat et quâ vovens "alicui familiæ religiosæ se in membrum et superiori ipsius ut filium tradat, juxta normam in hâc familiâ taxatam, et sub potestate prælati Deo ex religiosâ obligatione serviturus [2]." Unde vides, Frater,

(1) Cfr. P. Steiger o. c. p. 174.— (2) P. STEIGER. o. c. p. 175.

1129.— 2) *Hominem sese primo Ordini et dein Deo mancipare.*— Vota religiosa nomine Dei, hodie ex delegatione Romani Pontificis accipi debent per superiores Ordinum religiosorum. Ast superiores vota accipere nequeunt nisi subditorum. Oportet igitur ut homo, licet in ordine intentionis primo sese Deo tradere intendat, in ordine executionis prius se tradat familiæ religiosæ quam amplectitur, et per eam Deo.

§ II.— *De diversis speciebus professionis religiosæ.*

1130.— Variæ inveniuntur species professionis religiosæ, Frater, quas nunc *a)* breviter indicabimus simul *b)* cum conditionibus quas necessario postulant.

1131. — A) **Variæ species professionis religiosæ;** potissimum sunt sequentes 1) professio proprie dicta seu perfecta, et improprie dicta seu imperfecta; — 2) professio expressa et tacita; — 3) professio temporaria et perpetua; — 3) professio solemnis et simplex.

1) PROFESSIO PROPRIE DICTA SEU PERFECTA, ET IMPROPRIE DICTA SEU IMPERFECTA; *a) Proprie dicta seu perfecta.*— Professio religiosa cujus notionem supra tradidimus, Frater, professio est proprie dicta seu perfecta. Per eam enim assumitur status religiosus presse talis juxta hodiernum Ecclesiæ jus, et actus quo vovens talem statum assumit ab ipsâ Ecclesiâ perfecte suscipitur.

b) Professio improprie dicta seu imperfecta.— Ast in Ecclesiâ aliæ minus perfectæ inveniuntur statûs perfectionis formæ, quæ licet ab Ecclesiâ approbatæ, a perfectâ statûs religiosi ratione tamen deficiunt, et habentur ut status religiosus improprie dictus, ut si v. g. non adest unum e votis essentialibus.

2) PROFESSIO EXPRESSA ET TACITA. *a) Expressa* illa est quæ fit formâ consuetâ, quæ nempe verbo, aliisque nutibus

voluntatem voventis sufficienter declarant, et indicant eum statum religiosum amplecti velle.

b) Tacita ea est quæ nec verbo nec scriptis perficitur, sed per unum vel plures actus professis proprios, ut si candidatus per aliquod tempus palam, nemine prohibente, professorum induit habitum, vel annuente communitate id facit quod ad solos professos pertinet, ut suffragare in capitulo, etc.

Apud veteres invenies, Frater, monachos tacitam tantum emisisse professionem. Sed jam sæculo primo Ordinis Benedictini, professio in formâ consuetâ usu venit, ut videre est apud Martène [1]. Apud nos Franciscanos professio ab initio fuit expressa. [2] Hodie professio tacita omnino abrogata est, saltem quoad professionem solemnem. [3]

3) PROFESSIO TEMPORARIA ET PERPETUA, prout ad tempus determinatum, v. g. ad triennium, vel in perpetuum emittitur.

4) PROFESSIO SIMPLEX ET SOLEMNIS.— Prior ea est in quâ vota tantum simplicia emittuntur sive in Ordine presse tali, sive in congregatione religiosâ. Posterior vero, ubi vota emittuntur solemnia.

In Ordinibus religiosis presse talibus olim vigebat unica professio, nempe solemnis. Verum, die 19 Martii 1857, Pius IX, litteris Encyclicis incipientibus "Neminem latet," statuit ut apud viros post probationem legitime peractam, novitii vota emitterent simplicia in quibus per triennium permanere debent, quo elapso ad professionem votorum solemnium admitti poterunt. Et in Constit. "Ad Universalis Ecclesiæ"

---

(1) S. Bened. Reg. Comment. cap. 58. P. L. t. 66, col. 819 seq. ubi plures professionis formas invenies.— (2) Cfr. supra n. 1315.— (3) "Ad valide emittenda vota solemnia post vota simplicia, requiritur professio expressa et ideo professio tacita omnino abrogata est." Decret. "*Sanctissimus*" 12 Junii 1858, n. 11.

7 Febr. 1862, declaravit neminem *sub pœna nullitatis* ad professionem solemnem devenire posse, nisi præcesserit professio votorum simplicium [1]. Ast Codex Juris quoad professionem sequentia statuit, nempe:

Can. 574, § 1. In quolibet Ordine tam virorum quam mulierum, et in quâlibet congregatione quæ vota perpetua habeat, novitius post expletum novitiatum in ipsâ novitiatûs domo debet votis perpetuis, sive solemnibus sive simplicibus, præmittere, salvo præscripto can. 634, votorum simplicium professionem ad triennium valituram, vel ad longius tempus, si ætas ad perpetuam professionem requisita longius distet, nisi constitutiones exigant annuales professiones.

§ 2. Hoc tempus legitimus Superior potest, renovatâ a religioso temporariâ professione, prorogare, non tamen ultra aliud triennium.

Can. 575, § 1. Exacto professionis temporariæ tempore, religiosus, ad normam can. 637, vel emittat perpetuam professionem, solemnem vel simplicem secundum constitutiones, vel ad sæculum redeat; sed etiam, durante tempore professionis temporariæ, potest, si dignus non habeatur qui vota perpetua nuncupet, dimitti a legitimo superiore ad normam can. 647.

Cum Ordo Franciscanus Ordo sit stricte dictus, unice agemus de professione simplici temporariâ in ordine ad professionem solemnem, et de ipsâ solemni professione, et inquiremus quænam sint conditiones ad eas emittendas requisitæ.

B) **De conditionibus ad professionem requisitis.**— Codex Juris sequentia statuit:

Can. 572, § 1. Ad validitatem cujusvis religiosæ professionis requiritur ut:

(1) Eadem lex lata est pro monialibus per decret. "*Perpensis*" LEON. XIII, 3 Maii 1902.

1° Qui eam emissurus est, legitimam ætatem habeat ad normam can. 573 [1].

2° Eum ad professionem admittat legitimus Superior secundum constitutiones.

3° Novitiatus validus ad normam can. 555 præcesserit.

4° Professio sine vi aut metu gravi aut dolo emittatur.

5° Sit expressa.

6° A legitimo Superiore secundum constitutiones per se vel per alium recipiatur.

§ 2. Ad validitatem vero professionis perpetuæ, sive solemnis sive simplicis, requiritur insuper ut præcesserit professio simplex temporaria ad normam can. 574.

§ III. — *De effectibus professionis religiosæ.*

1133. — Recensemus nunc paucis verbis effectus tum *a)* professionis temporariæ tum *b)* solemnis, prout hæ professiones in Ordine stricte tali emittuntur.

1134. — A) EFFECTUS PROFESSIONIS TEMPORARIÆ. — *Quoad vim hujus professionis.* — Codex Juris sequentia statuit:

1) Can. 637, Professus a votis temporariis, expleto votorum tempore, libere potest religionem deserere.

2) Can. 577, § 1. Elapso tempore ad quod vota sunt nuncupata, renovationi votorum nulla est interponenda mora.

§ 2. Superioribus tamen facultas est ex justâ causâ permittendi ut renovatio votorum temporariorum per aliquod tempus, non tamen ultra mensem, anticipetur.

---

(1) Can. 573: "Quilibet professionem religiosam emissurus oportet ut decimum sextum ætatis annum expleverit, si de temporaria professione agatur; vicesimum primum, si de perpetua sive solemni sive simplici."

NOTA, Quoad Fratres laicos apud nos requiritur a constitutionibus (n. 22) ut professio solemnis tantummodo fiat post sex annos a professione simplici expletos.

3) Can. 647, § 1. Professum a votis temporariis... dimittere potest supremus religionis Moderator.

§ 2. Causæ

1° Debent esse graves.

2° Possunt se habere sive ex parte religionis sive ex parte religiosi. Defectus spiritûs religiosi qui aliis scandalum sit, est sufficiens dimissionis causa, si repetita monitio una cum salutari pœnitentiâ incassum cesserit, non vero infirma valetudo.

3° Licet Superiori dimittenti certo innotescere debeant, non est tamen necesse ut formali judicio comprobentur. At religioso semper manifestari debent, datâ eidem plenâ respondendi licentiâ ; ejusque responsiones Superiori dimittenti fideliter subjiciantur.

4° Contra dimissionis decretum est religioso facultas recurrendi ad Sedem Apostolicam, et pendente recursu, dimissio nullum habet juridicum effectum.

Quoad effectus proprie dictos.

1) Can. 578. 1° Fruuntur iisdem indulgentiis, privilegiis et spiritualibus gratiis, quibus gaudent professi a votis solemnibus aut professi a votis simplicibus perpetuis; et si morte præveniantur, ad eadem suffragia jus habent;

2° Eâdem obligatione tenentur observandi regulas et constitutiones, sed ubi viget chori obligatio, divini officii privatim recitandi lege non obstringuntur, nisi sint in sacris constituti aut aliud constitutiones expresse præscribant.

3° Voce activâ et passivâ carent, nisi aliud in constitutionibus expresse caveatur; tempus autem præscriptum ad fruendum voce activâ et passivâ, silentibus constitutionibus, computetur a primâ professione.

2) Can. 579. Simplex professio, temporaria sit vel perpetua, actus votis contrarios reddit illicitos, sed non invalidos, nisi aliud expresse cautum fuerit.

3) Non privantur *radicali dominio* bonorum. Vide supra n. 1090.

4) Can. 2388. Professi matrimonium etiam civiliter tantum contrahere præsumentes, excommunicatio tenet latæ sententiæ Ordinario reservata.

5) Can. 1315. Vota ante professionem emissa suspenduntur, donec vovens in religione permanserit.

6) Can. 584. Post annum ab emissâ quâlibet professione religiosâ, vacant beneficia parœcialia, post triennium cetera.

1135. — B) DE VI ET EFFECTIBUS PROFESSIONIS SOLEMNIS. — Professio solemnis alios parit effectus quâ professio, alios quidem quâ solemnizans vota. En nunc horum series [1]:

1 *Effectus.* — Profitens constituitur in statu religioso et quidem strictissime sumpto, proindeque ad illius statûs obligationes tenetur.

2 *Effectus.* — Professus Religioni ligatur, hæcque professo, ita ut nec solâ professi voluntate, nec solâ Religionis, neque mutuo utriusque consensu dissolvi possit illud vinculum.

3 *Effectus.* — Professus sui juris non manet, sed sub dominio et potestate Religionis incorporatur tanquam verum et politicum ejus membrum. Exinde sequitur *a)* quod Religionis Superior jus habeat præcipiendi religioso et hic ex justitiâ obedire teneatur. Unde obedire recusans et contra justitiam et contra Religionem peccat.

b) Exinde vicissim sequitur ut Religio teneatur ex justitiâ illum alere et gubernare, tam in temporalibus quam in spiritualibus, sicut Pater et Dominus.

c) Unde etiam, quidquid acquirit professus, monasterio acquirit, si istud est possessionis capax [2].

d) In monasterio manere debet, nisi de licentiâ Superioris licite ad tempus extra moratur. "Pro absentiâ vero quæ sex menses excedat, nisi causa studiorum intercedat, semper Apostolicæ Sedis venia requiritur [3]."

(1) Cfr. P. Piatus o. c. t. 1 P. 2, cap. 3, q. 184.— (2) Vide supra n. 1090.—(3) Codex Juris Can. 606 § 2.

4. *Effectus.* — Est quasi sequela præcedentis, scilicet professum a patriâ potestate liberat.

5 *Effectus.* — Satisfacit pro peccatis et peccatorum remissionem obtinet professus; non quantum ad culpam, sed quantum ad pœnam [1].

6 *Effectus.* — Professus lucratur indulgentiam plenariam [2].

7 *Effectus.* — Omne beneficium a professo possessum vacans reddit.

8 *Effectus.* — Matrimonium contractum et non consummatum dissolvit; quoad futurum matrimonium contrahendum affert impedimentum dirimens.

9 *Effectus.* — Aufert irregularitatem ex defectu natalium ortam, in ordine ad suscipiendos sacros Ordines, non vero ad Prælaturas et dignitates intra Religionem.

Conclusio. — Ex dictis sequitur, Frater, 1) *per professionem solemnem actus votis emissis contrarios eo ipso non tantum esse illicitos ut pro professione simplici, vero esse irritos vel saltem irritabiles.* Solemnitas enim voti castitatis irritat, uti vidimus, contractum matrimonialem subsequentem, et etiam antecedentem si matrimonium non fuerit consummatum. Paupertatis vero solemnitas irritat omnem actum dominii, tum quoad bona jam possessa quibus spoliatur religiosus ipso facto emissi solemniter paupertatis voti, tum quoad bona adventantia quorum acquirendorum incapax efficitur. Tandem voti obedientiæ solemnitas non quidem irritat, sed Superiorum arbitrio irritabiles reddit promissiones, quas religiosus post emissam professionem facit Deo vel hominibus. Deinde

2) *Etsi professio simplex et solemnis effectus diversos producunt, naturâ tamen inter se essentialiter non differunt, sed accidentaliter tantum.* " Voti solemnitas, ait Bonifacius VIII [3], ex solâ constitutione Ecclesiæ est inventa. " Unde merito

(1) Vide supra n. 928. — (2) Paulus V " *Romanus Pontifex,*" § 6. 23 Maii 1606. — (3) Cap. *Quod votum,* tit. 15, Lib. 3 in 6.

infertur: *Solemnitatem non requiri ad essentiam statûs religiosi.* Etenim: Status religiosus institutionis est divinæ, uti antea probavimus, et proinde non jure ecclesiastico sed divino habet suam essentiam [1].

ART. II. — De naturâ professionis Franciscanæ.

1136. — Naturâ professionis in genere declaratâ jam faciliori modo perspicies, Frater, naturam professionis Franciscanæ. Per eam enim Superior, nomine Ecclesiæ et Ordinis accipit candidati promissionem, quâ se tradit Ordini Fratrum Minorum S. Francisci Capuccinorum tanquam membrum legitimum, et Deo tanquam holocaustum suavissimum. Verbo: per professionem Franciscanam profitens assumit coram Ecclesiâ visibili statum religiosum, id est 1) observantiam trium consiliorum evangelicorum, 2) juxta normam a Regulâ Seraphicâ et 3) constitutionibus F. F. Minorum Capuccinorum taxatam et 4) sub potestate Superiorum Ordinis. Unde quatuor paragraphi.

§ I. — *De tribus votis religiosis in Ordine Minoritico.*

1137. — Norma vivendi, sicut in omni statu religioso presse talis, in Ordine Seraphico importat 1) observationem trium consiliorum evangelicorum, 2) nec, juxta probabiliorem sententiam, ullum aliud votum.

1138. — **I. Requiruntur in Ordine tria vota.** — In primo S. Regulæ capite Seraphicus Pater hæc habet verba: "Regula et vita Minorum Fratrum hæc est, scilicet Domini Nostri Jesu Christi evangelium observare, vivendo in obedientiâ, sine proprio et in castitate." — "Non est ergo, inquit S. Bonaventura [2], Regula aut vita nova res, sed procul dubio

(1) Cfr. P. Piatus. Commentaire de la Bulle "*Conditæ*" N. R. Théol. T. 33, p. 453. — (2) Expos. cap. 1. n. 3.

renovata, magnaque est hujusmodi Regulæ professoribus materia solatii, quâ soli in hoc mundo vitam illam ad litteram profitentur, quam Apostolis ad prædicandum missis Dominus commendavit."

1139. — II. **Non voventur alia vota.** — *a) Non votum obediendi Romano Pontifici.* — Varii S. Regulæ Expositores, ut S. Bonaventura, docent S. Patrem dicendo [1]: "Frater Franciscus promittit obedientiam et reverentiam Domino Papæ Honorio et ejus successoribus, et alii Fratres tenentur Fratri Francisco obedire," votum obediendi Romano Pontifici in Regulâ præscripsisse. "Etsi, inquit Seraphicus Doctor [2], totus clerus et religiosorum universitas teneatur firmiter Apostolico Domino obedire, tamen Sanctus huic debito votum adjicit speciale, sciens, voto superveniente fortificari sacri Ordinis vinculum, et meritum geminari." Sed circa hanc promissionem non concordant Doctores, neque utrum necne sit votum speciale, neque utrum aliquid addat obligationi juris divini et ecclesiastici, neque utrum *explicite* omnes Fratres respiciat, an vero implicite.

Unde de existentiâ hujus voti nihil cum certitudine affirmare possumus [3].

1140. — *b) Non votum observandi Regulam.* — Sunt et alii qui ex verbis S. Regulæ [4]: "Recipiantur ad obedientiam, promittentes vitam istam semper et Regulam observare," aliud agnoscunt votum. Sed

1) S. Bonaventura [5] apprime docet: "Sic vovent totam Regulam ut non omni ejus parti se obligatorie adstringant: vovent enim, se totam Regulam pro regulâ habituros secundum mandantis intentionem, ut quædam ad observandum omnimode, quædam ad habendum pro salutaribus hortamentis." Imo

(1) Reg. cap 1. — (2) Expos. cap. 1. n. 11.— (3) Cfr. P. Alb. a Buls. Expos. Reg. Ed. 1889 p. 30 nota 2. — (4) Reg. cap. 2. — (5) Expos. Reg. cap. 2. n. 12.

2) Communior sententia Expositorum est ea solum, quæ ad paupertatem, castitatem et obedientiam stricte dictam spectant, sub voto cadere, non autem reliqua Regulæ præcepta.

CONCLUSIO. — Proinde quidquid *speculative* hâc de re dicitur, in praxi agi non solet a Doctoribus de quatuor aut quinque, sed de *tribus* votis a Minoritis prolatis [1].

Sed hæc vota per professionem Franciscanam juxta Regulam Seraphicam taxanda sunt.

§ II. — *De taxatione votorum per Regulam Seraphicam.*

1141. — Vota essentialia seu evangelica per Regulam taxari seu æstimari necessario debent. Etenim unaquæque Religio ultra consilia generalia, sua habet particularia [2], quæ ad generalia referuntur eademque magis minusve determinant, et eorum vim magis minusve obligatoriam reddunt.

Inquirendum igitur venit 1. quænam consilia particularia in Regulâ Seraphicâ inveniantur et 2. quænam sit eorum vis obligatoria.

1142. — I. De consiliis particularibus Regulæ Seraphicæ. — Ut materiam hic tractandam rite intelligas, varia de antea jam dictis iterum recolenda sunt. Præstantissima vivendi norma ad salutem ordinata absque dubio in sacrosancto Evangelio continetur, quod incarnati Filii Dei doctrinam atque exemplar proponit. Ex divino hoc fonte omnia peti debent, quæcumque bona, quæcumque utilia ad vitæ spiritualis incrementum. Quare merito Seraphicus Pater filiis suis ante omnia observantiam sacrosancti Evangelii inculcat dicendo [3]: "Regula et vita Fratrum Minorum hæc est,

(1) Cfr. P. Albertus a Buls. l. c. not. c.—(2) Cfr. n. 975.—(3) Regul. cap. 1.

scilicet Domini nostri Jesu Christi S. Evangelium observare."

Equidem ad observandum S. Evangelium omnes tenentur, sed non eodem modo: nam in S. Evangelio præter præcepta, quæ pro omnibus data sunt, etiam consilia proponuntur.

Consilia autem dupiicis sunt generis: alia enim sunt generalia, alia particularia [1]. Ad generalia vi statûs tenentur religiosi omnes, et ideo S. Pater dicit [2] suos fratres debere "Evangelium observare vivendo in obedientiâ, sine proprio et in castitate."

Præter consilia hæc generalia, Seraphicus Pater verbis præceptoriis, monitoriis, exhortatoriis alia filiis suis proponit consilia, aliaque demum sequenda eorum liberæ voluntati relinquit [3].

Unde S. Regulæ consilia particularia apposite in quatuor partes principales reducere possumus, scilicet: 1) in consilia vel præceptorie 2) vel exhortatorie, vel 3) monitorie proposita, et 4) S. Regulæ libertates.

1. — *De consiliis præceptorie propositis.*

1143. — Consilia quæ præceptorie in Regulâ proponuntur, vocantur *præcepta Regulæ*. Hæc præcepta distinguuntur *a)* in præcepta eminentia seu formalia, *b)* in præcepta virtualia, *c)* in præcepta æquipollentia.

1144. — A) PRÆCEPTA FORMALIA SEU EMINENTIA. — Hæc præcepta vocantur *eminentia*, quia substantialia et fundamentalia Regulæ capita præscribunt; *formalia*, quia in eis proponendis S. Pater his vel similibus terminis utitur: *firmiter* præcipio, *per obedientiam injungo*, et sunt novem sequentia:

1) Ut totus Ordo teneatur præstare obedientiam et reverentiam Domino Papæ et Romanæ Ecclesiæ. Cap. I.

(1) Cfr. n. 880 seq. — (2) Reg. cap. 1. — (3) Cfr. P. Alb. a Buls. Expos. Reg. cap. I § 7.

2) Ut nullo modo liceat Fratribus de istâ Religione exire. Cap. II.

3) Ut Fratres nullo modo denarios vel pecuniam recipiant per se vel per interpositam personam. Cap. IV.

4) Ut Fratres nihil sibi approprient. Cap. VI.

5) Ut Fratres obediant suis Ministris in omnibus quæ promiserunt Domino observare, et non sunt contraria animæ suæ et Regulæ nostræ. Cap. X.

6) Ut Fratres non habeant suspecta consortia vel consilia mulierum. Cap. XI.

7) Ut non ingrediantur monasteria Monacharum, præter illos, quibus a Sede Apostolicâ concessa est licentia specialis. Cap. XI.

8) Ut non fiant compatres virorum vel mulierum. Cap. XI.

9) Ut Ministri petant unum de sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, qui sit Gubernator, Protector et Corrector istius fraternitatis. Cap. XII.

1145. — B) PRÆCEPTA VIRTUALIA. — Præcepta virtualia ea sunt quæ clare *tanquam vim habentia* a S. Legislatore proponuntur, et sunt sequentia quatuor:

1) Ut Fratres teneantur recurrere ad Ministros Provinciales pro casibus reservatis. Cap. VII.

2) Ut Fratres habeant unum de Fratribus istius Religionis in Ministrum Generalem. Cap. VIII.

3) Ut Ministri et Custodes teneantur insimul convenire in Capitulo Generali pro electione successoris Generalis Ministri. Cap. VIII.

4) Ut si aliquo tempore appareret universitati Ministrorum Provincialium et Custodum, prædictum Ministrum non esse sufficientem, debeant eligere alium. Cap. VIII.

1146. — C) PRÆCEPTA ÆQUIPOLLENTIA. — Præcepta æquipollentia sunt ea quæ etsi in Regulâ minus clare ut obligatoria proponantur, ex declarationibus Rom. Pontificum,

ex consensu Expositorum et ex communi totius Ordinis persuasione, *æquali* vi *pollent* ac cetera præcepta, et numerantur duodecim.

1) Ut Fratres habeant unam tunicam cum caputio, et aliam sine caputio qui voluerint habere. Cap. II.

2) Ut illi tantum qui necessitate coguntur, possint portare calceamenta. Cap. II.

3) Ut vilibus vestimentis induantur. Cap. II.

4) Ut clerici faciant divinum officium secundum ordinem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, et Laici dicant Pater noster. Cap. III.

5) Ut Fratres jejunent a Festo Omnium Sanctorum usque ad Nativitatem Domini, sanctam Quadragesimam usque ad Resurrectionem Domini, et in Feriis sextis totius anni. Cap. III.

6) Ut non equitent, nisi manifestâ necessitate aut infirmitate cogantur. Cap. III.

7) Ut Ministri et Custodes sollicitam curam gerant pro necessitatibus infirmorum, et aliis Fratribus induendis. Cap. IV.

8) Ut Fratres serviant Fratribus infirmis. Cap. VI.

9) Ut Fratres non prædicent in Episcopatu alicujus Episcopi, cum ab eo illis fuerit contradictum. Cap. IX.

10) Ut nullus Fratrum populo audeat prædicare nisi a Ministro Generali hujus fraternitatis fuerit approbatus. Cap. IX.

11) Ut ubicumque sunt Fratres, qui scirent et cognoscerent, se non posse Regulam spiritualiter observare, possint et debeant ad suos Ministros recurrere. Cap. X.

12) Omnia quæ ponuntur in Regulâ, quoad formam habitûs, tam Novitiorum, quam etiam Professorum et ad modum receptionis ac professionis spectantia, in quo multæ conditiones obligatoriæ comprehenduntur. Cap. II.

Licet secundum Declarationes Nicolai III et Clementis V, præcepta obligatoria ex Regulâ sint viginti octo; reducun-

tur tamen ad viginti quinque; nam reliqua tria habentia vim præcepti, includuntur in supradictis. Id enim quod dicitur in primo capite (Fratres teneri obedire successoribus sancti Francisci), et id quod dicitur capite octavo (teneri eosdem obedire Generali Ministro) includuntur utique in illo præcepto capitis decimi: ut obediant suis Prælatis in omnibus quæ non sunt contraria animæ suæ et Regulæ nostræ. Illud autem quod dicitur de jejunio sextæ Feriæ, ad æquipollens reducitur, ubi agitur de jejunio. Illud vero duodecimi capitis de non eundo inter Saracenos sine licentiâ et non mittendo nisi idoneos, potius videtur præceptum Juris communis (cap. *Quam sit* de Judæis et Saracenis; et cap. *Cum ex injuncto* de hæreticis) quam particulare Regulæ nostræ; et ideo hic non connumeratur.

2. — *De consiliis exhortatorie propositis.*

1147. — Salutares exhortationes S. Regulæ sunt quinque:

1) Moneo et exhortor ne despiciant, neque judicent homines, quos viderint mollibus vestimentis et coloratis indutos, uti cibis et potibus delicatis, sed magis unusquisque judicet et despiciat semetipsum. Cap. II.

2) Consulo vero, moneo et exhortor Fratres meos in Domino Jesu Christo, ut quando vadunt per mundum, non litigent, neque contendant verbis, nec alios judicent. Cap. III

3) Et cavere debent (Ministri vel Presbyteri qui pœnitentiam injungunt) ne irascantur, et conturbentur propter peccatum alicujus. Cap. VII.

4) Moneo vero, et exhortor in Domino Jesu Christo, ut caveant Fratres ab omni superbiâ, vanâ gloriâ, invidiâ, avaritiâ, curâ et sollicitudine hujus sæculi, a detractione et murmuratione. Cap. X.

5) Et non curent nescientes litteras, litteras discere. Cap. X.

3. — *De consiliis monitorie propositis.*

1148. — Suaves admonitiones ad bonum faciendum sunt duodecim.

1) Sint mites, pacifici, modesti, mansueti et humiles, honeste loquentes omnibus sicut decet. Cap. III.

2) In quamcumque domum intraverint, primum dicant: Pax huic domui. Cap. III.

3) Fratres illis quibus gratiam dedit Dominus laborandi, laborent fideliter et devote, ita quod excluso otio, animæ inimico, sanctæ orationis ac devotionis spiritum non extinguant, cui debent cetera temporalia deservire. Cap. V.

4) Sed tanquam peregrini et advenæ in hoc sæculo, in paupertate, et humilitate Domino famulantes vadant pro eleemosynâ confidenter. Nec oportet eos verecundari. Cap. VI.

5) Cui (paupertati) dilectissimi Fratres totaliter inhærentes, nihil aliud pro nomine Domini Nostri Jesu Christi in perpetuum sub cœlo habere velitis. Cap. VI.

6) Et ubicumque sint, et se invenerint Fratres, ostendant se domesticos inter se, et secure manifestet unus alteri necessitatem suam. Cap. VI.

7) Ipsi vero Ministri, si Presbyteri sunt, cum misericordiâ injungant illis (qui ad eos recurrunt pro peccatis publicis) pœnitentiam; si vero Presbyteri non sunt, injungi faciant per alios Sacerdotes Ordinis, sicut eis secundum Deum melius videbitur expedire. Cap. VII.

8) Moneo quoque et exhortor eosdem Fratres, ut in prædicatione quam faciunt, sint examinata et casta eorum eloquia, ad utilitatem et ædificationem populi, annuntiando eis vitia et virtutes, pœnam et gloriam cum brevitate sermonis. Cap. IX.

9) Fratres, qui sunt Ministri, et servi aliorum Fratrum, visitent et moneant Fratres suos, et humiliter et charitative

corrigant eos, non præcipientes eis aliquid, quod sit contra animam suam et Regulam nostram. Cap. X.

10) Fratres vero, qui sunt subditi, recordentur, quod propter Deum abnegaverunt proprias voluntates. Cap. X.

11) Ministri vero charitative, et benigne eos recipiant; et tantam familiaritatem habeant circa ipsos, ut dicere possint eis et facere sicut domini servis suis. Cap. X.

12) Sed attendant, quod super omnia desiderare debent habere spiritum Domini et sanctam ejus operationem : orare semper ad Deum puro corde, et habere humilitatem, et patientiam in persecutione, et infirmitate, et diligere eos, qui nos persequuntur, reprehendunt et arguunt. Cap. X.

4.— *De consiliis bonæ voluntati relictis.*

1149.—Sanctæ Regulæ libertates, quas liberum est et integrum cuilibet vel facere vel omittere, numerantur sex.

1) Et possint ea (vestimenta vilia) repetiare de saccis, et aliis petiis cum benedictione Dei. Cap. II.

2) Sanctam vero Quadragesimam, quæ incipit ab Epiphaniâ usque ad continuos quadraginta dies, quam Dominus suo sancto jejunio consecravit, qui voluntarie eam jejunant, benedicti sint a Domino; et qui nolunt, non sint adstricti. Cap. III.

3) Tempore vero manifestæ necessitatis, non teneantur Fratres jejunio corporali. Cap. III.

4) Et secundum sanctum Evangelium, de omnibus cibis, qui apponuntur eis, liceat manducare. Cap. III.

5) Post Capitulum vero Pentecostes, Ministri et custodes possint singuli, si voluerint et eis expedire videbitur, eodem anno in suis Custodiis semel Fratres suos ad Capitulum convocare. Cap. VIII.

6) Quicumque Fratrum, divinâ inspiratione voluerint ire

inter Saracenos, et alios infideles, petant inde licentiam a suis Ministris Provincialibus. Cap. XII [1].

1150.— II. De vi obligatoriâ consiliorum Regulæ.

Seraphicus Pater, dicendo [2]: "Regula et vita Minorum Fratrum hæc est, scilicet Domini nostri Jesu Christi sanctum Evangelium observare," *a)* non eo ipso omnia consilia et monita ad summam perfectionem pertinentia obligatoria reddit, sed *b)* "ex professione ejusdem Regulæ Fratres ipsi ad ea tantum evangelica consilia sunt adstricti, quæ in ipsâ Regulâ præceptorie, seu inhibitorie sub verbis æquipollentibus exprimuntur [3]," licet tamen *c)* ad alia explicite, ad alia vero implicite filios suos S. Pater vehementer exhortetur.

1151.— *a) Non omnia consilia particularia sunt ex Regulâ obligatoria.* — S. Bonaventura [4], hanc quæstionem solvit, dicens: "Numquid voventes hanc Regulam vovent per consequens omnem Evangelii perfectionem? Dico, quod non, cum in ipsâ Regulâ, quam vovent, quædam monitorie et exhortatorie subjungantur. Cum ergo non omnem Regulæ partem voveant observare, multo magis non vovent quod non exprimitur in eâdem."

1152.— *b) Consilia præceptorie et verbis æquipollentibus expressa, obligatoria sunt.*— Clemens V, ut omnes lites circa obligationem Regulæ componeret, operæ pretium duxit indicare et declarare omnia Regulæ præcepta. "Nos, ait [5], attendentes quod in his quæ animæ salutem respiciunt, ad vitandos gravantes remorsus consulte pars securior est tenenda: dicimus quod licet Fratres non ad omnium quæ sub verbis imperativi modi ponuntur in Regulâ, sicut ad præceptorum seu præceptis æquipollentium observantiam teneantur, expedit tamen ipsis Fratribus, ad observandam

(1) Cfr. P. Albertus a Bulsamo Expos. Reg. Cap. I, et introd. § 5, De S. Regul. Observ.— (2) Reg. Cap. I.— (3) Nicol. III, Const. *Exiit* a. 1. — (4) Expos. Reg. c. 1, n. 3. — (5) Const. *Exivi.* Art. 3 n. 2. Cfr. Textus origin. p. 236.

puritatem Regulæ et rigorem, quod ad ea sicut ad æquipollentia præcepta se noverint obligatos, quæ hic inferius annotantur." Et enumerat omnia præcepta supra exposita.

1153.— *c) Præter consilia quæ S. Pater explicite* [1] *in Regulâ enumerat, alia implicite commendat.*

Noster P. Albertus optime notat: "Quamvis, ait [2], Fratres Minores non omnia consilia evangelica tanquam præcepta observare teneantur: nihilominus juxta mentem S Patris, omnia Christi documenta et exempla in Evangelio proposita, magis quam ceteri Christiani, revereri, meditari, atque etiam conari debent, ut vitam suam illis conformem reddant." Id etiam claris verbis exigunt constitutiones nostræ [3]. Ac idem declarat Nicolaus III [4], qui postquam dixisset, non omnia evangelica consilia tanquam præcepta esse servanda, hæc verba addit: "Ad nonnulla vero alia per evangelium data consilia eo magis secundum exigentiam sui statûs tenentur plus quam ceteri Christiani, quo per statum perfectionis, quem per professionem hujusmodi assumpserunt, se obtulerunt holocaustum Domino per contemptum omnium mundanorum."

CONCLUSIO.— Ex hâc doctrinâ clare patet, Frater, summum studium Fratrum Minorum esse in meditatione doctrinæ et vitæ Jesu Christi. Hoc postulat Seraphicus Pater, requirit professio Franciscana et professio Congregationis Capuccinorum.

§ III. — *De taxatione votorum per constitutiones F. F. Minorum Capuccinorum.*

1154.—Ordo Seraphicus, lætæ arboris instar, semper vivens et florens, tanquam ramos generosos et nobiles tres dat congregationes diversas: Conventualium scilicet, Unionis Leoni-

(1) Cfr. supra.— (2) Expos. cap I, § 7, n. 3.— 3) Cap. I, n. 1.— (4) Const. *Exiit.* art. 1, n. 4, cfr. Textus orig. p. 190.

næ et Capuccinorum. Causa autem hujus diversitatis a Leone XIII in suâ Constitutione "Felicitate quâdam" (4 oct. 1897) apprime indicatur: "Summam rerum inopiam, inquit, quam vir sanctissimus (scilicet Franciscus) in omni vitâ adamavit unice, ex alumnis ejus optavere nonnulli simillimam: nonnulli, quibus ea visa gravior, modice temperatam maluerunt. Quarum aliorum ab aliis secessione factâ, hinc *Observantes* orti, illinc *Conventuales.* Similiter rigidam innocentiam, altas magnificasque virtutes, quibus ille ad miraculum eluxerat, alii quidem imitari animose ac severe, alii lenius ac remissius velle. Ex prioribus iis fratrum Capulatorum familiâ coalitâ, divisio tripartita consecuta est" Sed ut merito notat Suarezius [1]: "hæc diversitas non tollit Religionis unitatem saltem specificatam, ut sic dicam; nam numericam, et moralem aliquo modo auferre videtur, quia saltem unitas capitis, seu generalis non retinetur. Non tamen hoc indicat imperfectionem instituti, sed potius arduitatem, et difficultatem, quam mirum non est in tantâ hominum multitudine non ab omnibus æque servari et adamari, sed illud potius magnâ laude dignum est, quod tot sint, numquamque desint illius perfectionis zelatores."

In præsenti igitur, Frater, quando quis religionem Franciscanam amplecti desiderat, uni e tribus Congregationibus Minoriticis sese per professionem tradat, omnino necesse est. Hæc autem traditio necessario novam importat taxationem juxta quam judicanda sunt vota in hâc Congregatione Franciscanâ emissa. Claritatis causâ dicemus

1) de ratione cur varietas in observatione Regulæ inveniatur, et dein

2) de taxatione votorum per Constitutiones Fratrum Minorum Capuccinorum.

1155. — I. RATIO CUR VARIETAS IN OBSERVANTIÂ REGULÆ INVENIATUR.—Rationem hujus varietatis lucide exponit

(1) *De Religione*, tom. IV Tract. 9, L. 2, cap. 7, n. 7.

P. Bernardus Van Loo [1] in suo eximio libro cui titulus "Stimulus Seraphicæ Conversationis" [2]. Probat enim *a)* varietatem in observantiâ Franciscanâ ex indole et naturâ Regulæ provenire; *b)* Congregationes reformatas essentialia Regulæ observare; *c)* eas unice in accidentalibus ab invicem differre; *d)* has reformationes magnam habere utilitatem et proinde minime esse parvipendendas.

1156. — *a) Varietas in observantiâ Franciscanâ ex indole et naturâ Regulæ provenit.* — Etenim, Regula Seraphica, uti supra exposuimus, talis est naturæ et indolis ut præcepta contineat et consilia: "Recte proinde, ait P. Van Loo [3], Religio Minoritica hoc sub respectu cum Ecclesiâ catholicâ comparatur, quæ filiis suis præcepta tradit simul et consilia; ad illa quidem omnes adstringens, ad hæc autem libere volentes suaviter invitans. Quemadmodum autem in Ecclesiâ nunquam defuerunt, qui præter præcepta etiam consilia evangelica sectarentur, ita in Ordine Seraphico."

"His consideratis et perpensis, sequitur, inquit laudatus auctor [4], ipsam Regulam ejusque indolem et naturam in causâ esse, cur varietas in disciplinâ Seraphicâ existat et semper exstiterit; nec aliter fieri potuisse concedendum est, nisi dicatur S. Franciscum frustra simul consilia et præcepta dedisse. Si enim major illa perfectio... non esset exercita, dici posset Regulam quoad omnes suas partes non esse observatam, cum deesset observantia consiliorum, quæ in eâ sine causâ aut fine fuerunt apposita."

1157. — *b) Congregationes reformatæ essentialia Regulæ observant.* — Congregationes Minoriticæ omnes ad Regulam S. Francisci observandam per professionem sese adstringunt. "In hoc proinde ex mente S. Francisci omnes veri Fratres Minores convenire debent, ut vota et præcepta, in

(1) Ordin. Min. Recollectorum.—(2) Romæ 1861. Et Editio 2ª Lovanii. 1862. p. 142 seq. Citatur Editio Lovanii. — (3) O. c. p. 147. — (4) O. c. p. 147.

quibus Regulæ essentia consistit, juxta pontificias declarationes observent [1]."

1158. — *c) Congregationes reformatæ unice in accidentalibus ab invicem differunt.* — Cum igitur Congregationes reformatæ essentialia Regulæ observent, in accidentalibus unice ab invicem differre possunt. "In eo discrepare possunt, ait P. Van Loo [2], quod præter præcepta etiam sequantur consilia quæ in regulâ continentur, et quorum liberæ et voluntariæ observantiæ specialis adnectitur benedictio." "Mirare igitur Regulæ nostræ perfectionem et fecunditatem, quæ in se omnis sanctitatis continet fontem, quæque omnia perfectionis exercitia commendat, quæ a S. Francisco et primis ejus discipulis servata fuerunt, et in variis reformationibus fuerunt renovata... Omnes enim illæ reformationes nihil aliud præstiterunt aut præscripserunt, nisi quod in ipsâ Regulâ continetur sub variis formulis sive præceptoriis, sive monitoriis et exhortatoriis, quibus Fratres Minores incitantur ad perfectam Christi sequelam, atque omnium virtutum apicem [3]."

1159. — *d) Congregationes reformatæ magnam habent utilitatem.* — "At dicet quis: nonne melius esset, ut nullæ peculiares constitutiones conderentur, sed singulorum devotioni relinqueretur libertas observandi Regulæ consilia? Id nonnulli existimarunt, sed perpendenti patet, vix fieri posse ut a privatis religiosis hujusmodi desideria adimpleantur, nisi arctior illa vita a communitate servetur; difficile enim, quinimo imprudens esset, ut in uno eodemque conventu diversa vigeret observantia, cum sine perturbatione disciplinæ monasticæ id fieri nequeat. Quomodo enim unus vilioribus quam alii uti posset vestimentis? Quomodo Benedictionis jejunium quis servabit, ubi communitas fratribus carnes administrat? Quomodo orationi magis temporis spatium quis impendet, si exercitia communitatis eum vocent

(1) P. Van Loo, ibid. p. 143. — (2) O. c. p. 143.— (3) Ibid. p. 150.

ad laborem? Cum igitur vix fieri possit, ut Regulæ consilia privatim adimpleantur, divinâ Providentiâ factum est, ut omni tempore exstiterint conventus, vel integræ provinciæ, in quibus sive peculiaribus constitutionibus, sive consuetudine strictior ille vivendi modus vigeret." [1]

1160. — *e) Congregationes reformatæ non sunt parvipendendæ.*— Sunt, ait P. Van Loo [2], qui differentiam in disciplinâ Seraphicâ spiritui cuidam singularitatis adscribendam esse duxerint, sed immerito quidem. "Nemo inficias ibit, inquit [3], Deum maximum Ordini Seraphico contulisse beneficium, dum omni tempore sanctos suscitavit viros, qui non solum Regulam ad litteram servarent, sed in aliis etiam collapsam regularem disciplinam restaurarent. Varias reformationes huc spectantes nullus contemnere aut parvipendere potest, nisi Ordinis exitialem ruinam ejusdem conservationi anteponere velit."

"Ne dicas, prosequitur [4], melius fore, ut una esset in toto Ordine observantia regularis, utque hujus perfectæ uniformitatis causâ obtinendæ sanctioris vitæ cupidi desideria sua comprimerent, et se communi aliorum observantiæ accommodarent. Hoc enim suppositum, quamvis boni apparentiam habeat, non videtur tamen simul posse consistere cum indole et spiritu Regulæ Seraphicæ, quæ præter præcepta, ab omnibus servanda, consilia perfectioris vitæ continet, uti superius explanavimus."

CONCLUSIO.— Ex dictis clare sequitur, Frater, differentiam in observantiâ Seraphicâ "non imprudenti zelo, ambitioni aut novitatis spiritui tribuendam esse, sed ab ipsâ Regulæ nostræ indole et naturâ repetendam, adeoque, nedum Regulæ unitati contraria censenda sit, ad ejusdem potius unitatem et integritatem pertinere." [5]

---

(1) P. VAN LOO. o. c. p. 157.— (2) O. c. p. 142.— (3) L. c. — (4) O. c. p. 157-158.— (5) P. VAN LOO, l. c. p. 142.

1161.— II. ***De taxatione normæ vivendi in Congregatione Capuccinorum impositâ.***— Cum congregatio reformata F. F. Minorum Capuccinorum ab aliis Congregationibus Franciscanis varietur, jam inquirendum venit 1) in quo hæc varietas consistat, 2) quomodo stabiliatur, 3) et quænam sit vis obligatoria eorum quæ stabilita sunt.

1162.— 1. In quo varietas congregationis reformatæ Capuccinorum consistat.— Hæc varietas proprie *a)* non petitur ex observatione strictâ Regulæ, sed *b)* ex severiori observatione Regulæ.

1163.— *a) Varietas non petitur ex observatione strictâ Regulæ.*— Nota specifica Congregationis F. F. Minor. Capuccinorum jam non est pura et stricta observantia Regulæ. Certe, Pius X [1] jure merito dicere potuit: "Neque enim quisquam in dubium vocaverit, Capulatorum familiam usque ab initio fuisse et esse Fratrum Minorum Ordinem eodem prorsus jure ac geminas alias Franciscalium familias;... Ergo, quod Urbanus VIII [2] affirmavit Minores Capulatos "ex verâ et nunquam intermissâ S. Francisci lineâ originem trahentes, semper sine aliquâ interruptione Seraphicæ Regulæ continuasse observantiam, hoc sane de iis prædicari hodieque debet."

Sed hæc stricta observantia omnibus veris Fratribus Minoribus est communis.

(1) Cfr. etiam supra n. 1268. — (2) Homil. 1 De proditione Judæ, n. 4. P. G. t. 49, col. 378.— (3) MATTH. VIII, 20. — (4) MATTH. XXVI, 17. — (5) L. c. n. 6. — (6) Epistol. 22 n. 19. P. L. t. 22, col. 406. Respiciuntur Matth. x. 10, et Joan. XIX, 23 et sq.— (7) L. c. n. 1. — (8) L. c. n. 40.

ut summæ paupertatis formam perfecte servaret. Unde super illud Matthæi [1]: *Vade ad mare*, Glossa: "Dominus tantæ fuit paupertatis, ut unde tributa solveret, non haberet. Judas quidem communia in loculis habebat, sed res pauperum in usus suos convertere nefas duxit, id ipsum dans exemplum nobis."

4) *Christus pauperrime vixit.*— S. Bernardinus Senensis hanc pulcherrimam habet ad Christum orationem [2]: "Domine mi Jesu, ut hanc temporalium paupertatem posses caritate perpetuâ desponsare, et omnes perfectionis filios imitatores tuos in ipsâ, et ex ipsâ, et per ipsam perducere: a summo cœlorum descendere voluisti. Hæc tibi cum tantâ fidelitate adhæsit quod... orientem ex utero in præsepio sancto recepit, et stabulo, et conversantem in mundo sic omnibus te privavit, ut capitis reclinatorio faceret te carere. Sed et fidelissima consocia, dum ad bellum nostræ redemptionis accederes, te fideliter comitata est, et in ipso passionis conflictu individuus armiger astitit, et discipulis recedentibus, et negantibus nomen tuum, ipsa non discessit, sed te tunc cum toto comitatu suorum principum fidelius sociavit... Immo ipsa matre propter altitudinem crucis te contingere non valente, domina paupertas cum omnibus penuriis suis, tanquam tibi gratissimus domicellus, te fuit strictius amplexata, et tuo cruciatui præcordalius juncta, propter quod nec tibi vacavit crucem polire, sed rusticano more componere... Dum quoque sitis morereris ardore, ipsa fidelis sponsa sollicite affuit, ut nec modicum aquæ posses habere: sed per satellites impios tantæ amaritudinis confecit poculum, quod gustare potius quam bibere potuisti. In hujus igitur sponsæ strictis amplexibus animam emisisti. Sed nec ipsa fidelis sponsa tuis defuit exequiis sepulturæ, nec tibi aliquid in sepulchro, in unguentis, et linteis habere

(1) XVII, 26.— (2) Opera, t. 3, *De multiplici paupertate*, serm. 2, p. 180.

permisit nisi ab aliis mutuatum. Nec ista sanctissima sponsa tuæ resurrectioni defuit, quia in ejus amplexu gloriose resurgens in sepulchro omne mutuatum, et adventitium reliquisti. Hanc tecum apportasti ad cœlos, mundanis relinquens omnia quæ sunt mundi."

5) *Simplex usus.*— Christus erat pauperrimus, nam alieno semper sustentabatur cibo: Hoc clare ex evangelio patet. Tantæ paupertatis fuit ut *circumspectis omnibus* [1], nisi quis eum hospitio suscepisset, in urbe maximâ nullam mansionem inveniret. "Constans est igitur, ait Seraphicus Doctor [2], quod Christus non solum hospitio, sed et pretio, quo illud conduceret, caruit, dum necessitate compulsus de urbe exivit, illo videlicet die, quo eamdem urbem tanquam rex asello vectus intravit."

1273.— B) QUOAD APOSTOLOS — Christus eos eamdem altissimam paupertatem edocuit. Eos ad prædicandum mittens: *Nolite*, inquit [3], *possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in viâ neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam.* "In his igitur verbis, dicit S. Bonaventura [4], Dominus Apostolis et prædicatoribus veritatis extremæ et penuriosiæ paupertatis formam servandam imponit quantum ad carentiam non solum possessionum, sed etiam pecuniarum et aliorum mobilium, quibus sustentari vel communiri solet communis hominum vita, ut, tanquam veri pauperes in summâ rerum constituti penuriâ, carerent pecuniis, alimenta non ferrent, simplici vestitu contenti essent et sine calceamentis incederent, ut sic paupertatem altissimam actu et habitu quasi quoddam perfectionis insigne præferrent. Hanc paupertatis normam tanquam speciali prærogativâ perfectam et *Christus* in se ipso servavit, et *Apostolis* servandam instituit, et his qui eorum *cupiunt imitari vestigia*, consulendo suasit."

(1) MARC. XI, 11. — (2) L. c. n. 8.— (3) MATTH. X, 9 seq.— (4) L. c. n. 5.

Apostoli eam observaverunt.— Licet Apostoli, ut prælati Ecclesiæ bona multitudinis ad tempus dispensaverint, illam dispensationem ut impeditivam verbi dimittentes eamque aliis committentes [1], omnibus terrenis caruerunt, in altissimâ et evangelicâ paupertate viventes [2]. Quare S. Ambrosius [3], super illud Lucæ [4]: *Nolite portare sacculum, neque peram*, inquit: "Apostolus Petrus, primus Dominicæ exsecutor sententiæ, ut ostenderet non in vacuum Domini effusa mandata, cum posceretur a paupere, ut ei aliquid pecuniæ largiretur, ait: *Argentum atque aurum non habeo*... Tamen non tam hoc gloriatur Petrus, quod argentum et aurum non habeat, quam quod servet mandatum Domini, qui præcepit: *Nolite possidere aurum.* Hoc est dicere: Vides me Christi esse discipulum, et aurum a me requiris? Aliud nobis multo pretiosius auro donavit."

Apostoli hanc doctrinam fidelibus consiliando proposuerunt.— *Scitis*, inquit Apostolus [5], *gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopiâ vos divites essetis. Et consilium hoc do.* "*Factus est*, inquit S. Augustinus [6], *egenus* in tantum, ut non haberet quod habent vulpes. *Et in hoc consilium do*, subauditur, ut ejus paupertatem imitemini."

Ex dictis tamen minime inferri potest modum in paupertate vivendi aliorum religiosorum esse improbandum. Paupertas enim evangelica varios perfectionis habet gradus, et licet omnes sint laudabiles, attamen, ut dicit S. Bonaventura [7], "ea paupertas ad perfectionis attingit fastigium, quâ quis expressius et conformius nuditatem crucis amplectitur et nudum crucifixum imitatur."

(1) ACT. APOST. VI.— (2) Cfr. Corduba, cap. 6, q. 1, p. 506.— (3) Lib. VII, in Luc. X. 4, n. 54. P. L. t. 15, col. 1800; et citatur Act. III, 6, et Matth. X, 9.— (4) X. 4.— (5) II COR. VIII, 9. 10.— (6) Citatur a S. Bonaventurâ *Apol. Paup.* cap. VII, n. 14, est potius Haymonis in expositione Epist. S. Paul, II COR. VIII, 9. P. L. t. 117, col. 643.— (7) L. c. n. 23.

Jam vero hoc desiderium fuit Seraphici Patris, hoc et omnium filiorum ejus legitimorum. "Hujus igitur invictissimi ducis nuditate tanquam armaturâ circumdati et in eo solo sperantes qui ait [1]: *Confidite, ego vici mundum*, in ipsius pauperis Crucifixi nomine hostiles excipiamus insultus [2]."

Art. II.— Paupertas fundamentum perfectionis evangelicæ.

1274.— Perfectio vitæ christianæ essentialiter et principaliter in caritate consistit: "Caritatis venenum, teste S. Augustino [3], est spes adipiscendorum aut retinendorum temporalium. Nutrimentum ejus est, imminutio cupiditatis; perfectio, nulla cupiditas." Ast, ut Seraphicus Doctor probat [4], cupiditatem omnino foras mittit qui omnia re et voluntate relinquit. Unde sicut radix omnium malorum est cupiditas, sic radix et fundamentum perfectionis est altissima paupertas. Cum autem paupertas Franciscana suâ naturâ ordinetur ad cupiditatem omnino resecandam, dici potest fundamentum perfectionis vitæ spiritualis. Unde altissima paupertas suadetur 1) tam a ratione 2) quam a fide.

§ I.— *Altissimam paupertatem suadet ratio.*

1275.— *a)* Natura innocens et natura lapsa altissimam paupertatem suadet ut *b)* Apostolus clare proclamat.

a) Natura altissimam paupertatem suadet. — Hoc apprime exponit Doctor Seraphicus [5]: "Homo nudus formatus est, ait, et si in statu illo (nempe innocentiæ) stetisset, nihil

(1) Joan. xvi, 33.— (2) S. Bonavent. l. c. n. 40.— (3) In libro octoginta trium quæstion. Quæst. 36, n. 1, P. L. t. 40, col. 25.— (4) Q. disp. De perfect. evang. q. 2, art. 1 c. — Op. t. 5. p. 129.— (5) L. c.

sibi prorsus appropriasset; homo vero lapsus nudus nascitur, nudus moritur. Et ideo hæc est rectissima via ut, ab extremis non declinans, quantum potest natura pati, pauper et nudus incedat."

Dicit: " ab extremis non declinans ", nam " esse contentum tegumenti et alimenti est modus perfectæ virtutis; qui autem sic vellet temporalia abjicere ut nec vellet alimenta suscipere, nec operimentum habere, non operaretur perfecte sed stulte " [1].

1276. — *b) Hanc paupertatem proclamat Apostolus.* — Ad Timotheum [2] scribens ait: *Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium, quia nec auferre quid possumus.* Et ex hoc concludit: *Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus.*

§ II. — *Paupertatem altissimam suadet fides.*

Christus enim Dominus paupertatem evangelicam tanquam primum fundamentum perfectionis proclamat. "Cum ad perfectionem discipulos informaret in monte, ait S. Bonaventura [3], tanquam *novæ Jerusalem descendentis de cœlo* fundamenta perfectionis videlicet evangelicæ lumina, in *montibus sanctis* [4], mentibus scilicet apostolicis, collocans, inter ceterarum virtutum gloriosa præconia a Sanctæ paupertatis excellentiâ sumit initium, dicens: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Dehinc tribuens de perfectionis aggressione consilium, primum ad hanc suo invitat exemplo, dicens [5]: " *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia, quæ habes, et da pauperibus, et veni, sequere me.*"

Uti vides, Frater, altissima paupertas eam profitenti permaxime utilis est, sed non ipsi soli, sed etiam societati christianæ.

(1) Q. disput. l. c. — (2) VI, 7. — (3) *Apol. paup.* cap. 7 n. 3. — (4) APOCALYP. XXI, 2. — PS. LXXXVI, 1. — (5) MATTH. XIX, 21.

Art. III. — Altissima paupertas societati magna confert beneficia.

1277. — Aliud motivum cur Fratres Minores altissimam profiteantur paupertatem est eorum desiderium societati christianæ in spiritualibus succurrendi. Etenim, 1) societas christiana varia habet munera adimplenda, spiritualia nempe et temporalia, ad quæ non omnia societatis membra adstringi possunt; 2) spiritualia autem præstant temporalibus. Ast 3) altissima paupertas medium est aptissimum ad bona spiritualia societati christianæ præstanda: Unde 4) etiam concludere possumus inaniter dici: inconveniens esse quemquam propria dimittere et de alienis vivere.

§ I. — *Societas christiana varia habet munera non æque ab omnibus adimplenda.*

1278. — Societas christiana ad finem suum debito modo assequendum indiget, ut per se patet. rebus corporalibus et spiritualibus, et varia ad eas procurandas ordinantur munera. Hæc autem munera non æque ab omnibus sunt præstanda, ut optime notat S. Thomas [1]: "Nec enim, ait, in apibus omnes eidem vacant officio, sed quædam colligunt mel, quædam ex cerâ domus construunt, reges etiam circa opera non occupantur.

Et similiter necesse est in hominibus esse. Quia enim multa necessaria sunt ad hominis vitam, ad quæ unus homo per se sufficere non posset, necessarium est per diversos diversa fieri, puta ut quidam sint agricultores, quidam animalium custodes, quidam ædificatores, et sic de aliis; et quia vita hominum non solum indiget corporalibus, sed magis spiritualibus, necessarium est ut quidam vacent spiritualibus rebus ad meliorationem aliorum,

(1) *Contra Gent.* Lib. III. cap. 135.

quos oportet a curâ temporalium absolutos esse. Hæc autem distributio diversorum officiorum in diversas personas fit divinâ Providentiâ, secundum quod quidam magis inclinantur ad hoc officium, quam ad alia."

§ II. — *Munera spiritualia præstantiora sunt temporalibus.*

1279. — Audiamus adhuc Angelicum Doctorem [1]: "Est autem magis subvenire alteri in spiritualibus quam in temporalibus, quanto spiritualia sunt temporalibus potiora, et magis necessaria ad finem beatitudinis consequendum. Unde qui subtrahit sibi facultatem subveniendi aliis in temporalibus per voluntariam paupertatem, ut acquirat spiritualia, per quæ utilius potest aliis subvenire, non facit contra bonum societatis humanæ," sed ei maxima confert beneficia. Nam

§ III. — *Altissima paupertas medium est aptissimum societati in spiritualibus serviendi.*

1280. — Si omnia societatis christianæ membra circa sua propria tantum sollicitudinem gererent, non esset qui communi utilitati deserviret.

Nullum igitur medium inveniri potest aptius societati inserviendi quam omnia terrena dimittere : nam nullam curam et sollicitudinem circa terrena habens, spiritualibus vacare potest.

Hoc verum est *a)* in universum pro omnibus religiosis sed *b)* potissimum pro Fratribus Minoribus, cum sint viri apostolici.

1281. — *a)* **Religiosi paupertatem voluntariam profitentes in universum societati beneficia conferunt.** — "Qui autem vo-

(1) Ibid.

luntariam paupertatem assumunt, ut Christum sequantur, ait Angelicus Doctor [1], ad hoc utique dimittunt, ut communi utilitati deserviant, sapientiâ, eruditione, et exemplis populum illustrantes, vel oratione et intercessione sustentantes." Et prosequitur: [2] "Dum exemplis suis alios provocant ad virtutem, fit ut hi qui eorum exemplis proficiunt, minus ad divitias afficiantur, dum vident alios propter perfectionem vitæ divitias omnino deserere. Quanto autem aliquis minus divitias amat, et est virtuti magis intentus, tanto facilius divitias in aliorum etiam necessitate distribuit; unde qui paupertatem voluntariam assumentes de his quæ ab aliis dantur vivunt, magis fiunt aliis pauperibus utiles, alios ad misericordiæ opera verbis et exemplis provocando, quam fiunt damnosi ad sustentationem vitæ aliorum beneficia accipientes."

1282. — *b)* Fratres Minores, ut viri Apostolici, per paupertatem maxima societati conferunt beneficia.

Nam ut Seraphicus Doctor [3] docet, paupertas maxime valet ad publicationem evangelicæ prædicationis, quia facit eam *a)* magis credibilem, *b)* efficacem et *c)* acceptabilem.

1) *Magis credibilem.* — "Tanta lucis vis est, ait S. Chrysostomus [4], ut non hic tantum fulgeat, sed et sequentes se illo deducat. Cum enim vos viderint præsentia omnia despicientes et ad futura præparatos, operibus magis quam verbis obtemperabunt. Quis enim est ita stultus, qui videns hominem heri et nudius tertius deliciantem et divitem, jam exutum omnibus et ceu volucrem effectum, ad famem et paupertatem... atque ad omnia quæ dura reputantur paratum, non hinc clarum accipiat futurorum argumentum? Si vero præsentibus nos implicemus, atque in illis nos immergamus, quomodo credere poterunt, nos ad aliam festinare patriam?"

(1) L. c. cap. 136.— (2) Ibid.— (3) *Apolog. paup.* cap. 9 n. 21.— (4) Homil. 15 in Matth. n. 9. P. G. t. 57, col. 234.

2) *Magis efficacem.* — Fructificatio enim animarum plus exemplo quam verbo operatur, secundum illud S. Joannis Damasceni [1]: "Evangelium quo Dei cognitio patuit, toto orbe promulgatum est, non bello armisque, et exercitibus adversarios fundens: verum homines pauci, nudi, pauperes, ac litterarum rudes, insectationibus ac verberibus afflicti, neci dati, eum qui in crucem actus mortuusque fuerat, prædicantes, doctos et potentes superarunt."

3) *Magis acceptabilem.* — Nam de eleemosynis viventes major benevolentia invenitur inter mendicantes et fideles. Unde Chrysostomus [2] de Apostolis agens dicit "ipsos a discipulis esse alendos, ut ne ipsi adversus discipulos altum saperent, quasi omnia præbentes, nihilque accipientes ab illis; neque discipuli discederent ab illis despecti."

Unde concludit Seraphicus Doctor [3]: "Cum igitur voluntaria rerum penuria evangelii prædicationem magis reddat *credibilem*, *efficacem* et *acceptabilem*, ac per hoc auditores inducat ad fidem, erigat ad spem, alliciat ad caritatem, manifestum est, quod maxime valet ad evangelicæ veritatis publicationem. Cujus etiam evidens indicium est, quod per Apostolos pauperes rebus et spiritu, quamquam numero paucos, diffusa est evangelica veritas in orbem universum."

"Sed, inquies, signa fecerant, ait Chrysostomus [4]. Non signa certe ipsos mirabiles effecerunt... Ecquid illos magnos effecit? Contemptus pecuniarum, vanæ gloriæ despectus, sequestratio a bonis sæcularibus.

Qui si hæc non habuissent, sed animæ morbis paruissent, etiamsi sexcentos mortuos suscitassent, non modo ad nihilum utiles fuissent, sed etiam deceptores et fallaces habiti fuissent."

Unde iterum cum Bonaventurâ [5] addere possumus "quod

(1) *De fide orthodox.* l. 4, cap. IV. P. G. t. 94, col. 1110.— (2) In Matth. homil. 32 al. 33, n. 4 in fine, P. G. t. 57, col. 382.— (3) L. c. n. 22. — (4) In Matth. homil. 46, al. 47, n. 3, P. G. t. 58, col. 479.— (5) L. c.

nihil tantum valuit ad dilatandum Christi evangelium quam perfectus contemptus rerum mundanarum."

§ IV. — *Conveniens est ut de bonis alienis vivant.*

1283. — Cum Fratres Minores omnia bona temporalia dimittant et modo optimo societatis utilitati deserviant, conveniens est ut ab his quorum utilitati incumbunt, sustententur. Unde Apostolus [1], juxta D. Thomam [2], dicit: " *Vestra abundantia*, scilicet in temporalibus, *illorum inopiam suppleat;* et in eâdem Epistolâ: *ut et illorum abundantia*, scilicet in spiritualibus, *vestræ inopiæ sit supplementum.* Qui enim alterum juvat, particeps fit operis in bono et in malo."

Attamen ut scopus per paupertatem franciscanam intentus obtineatur, necesse est ut obligationes per professionem assumptæ rite adimpleantur.

CAPUT V.

DE OBLIGATIONIBUS RELIGIOSORUM QUOAD PAUPERTATEM.

1284. — Quoad paupertatem maxime interest, Frater, ut sedulo attendas: 1) ad quid religiosus vi voti paupertatis, et dein 2) ad quid vi virtutis paupertatis sub reatu peccati teneatur. Unde duo articuli.

ART. I. — De obligationibus ex voto paupertatis fluentibus.

Per professionem et votum paupertatis Deo promittitur tum abdicatio bonorum temporalium saltem actualis et jus

(1) II COR. VIII, 14.— (2) L. c. cap. 136.

in ea, tum status paupertatis, qui excludit abundantiam rerum superfluarum. "Quare, merito notat P. Vermeersch [1]," non uno proprietatis vitio, seu usurpando abdicatum jus, peccatur contra votum, sed etiam merâ rerum superfluitate. Cujus hæc est ratio, quia voluntaria paupertas videtur inprimis postulare statum paupertatis." Unde duplex voti paupertatis objectum: *abdicatio dominii* et *status paupertatis*, seu ratio vitæ hominum exiguæ fortunæ.

Etsi, Frater, inter theologos quæstio movetur statusne paupertatis *per se* voto contineatur [2], quoad Franciscanos certum est eos tali modo ad statum paupertatis teneri. Promittunt enim explicite se regulam observaturos vivendo sine proprio: aliis verbis, promittunt paupertatem juxta regulam. "Superfluitas autem aut nimia pretiositas vel quæcumque curiositas in his (nempe in paramentis ecclesiasticis) seu aliis quibuscumque, ait Clemens V [3], non potest ipsorum *professioni* et *statui* convenire. Cum enim hæc sapiunt thesaurizationem seu copiam, paupertati tantæ quoad humanum judicium derogant manifeste." Unde 1) de vitio proprietatis, 2) de vitio contra statum paupertatis, 3) de obligatione vitæ perfecte communis ducendæ, et demum, 4) de aliquibus quoad violationem voti attendendis.

§ I. — *De vitio proprietatis.*

1285. — Quid est? — Vitium proprietatis habetur, quando sine superioris licentiâ religiosus, post professionem rite factam, ex animo aliquod exercet in res temporales jus, quod per votum Deo consecravit.

Dicemus igitur A) de variis modis quibus votum paupertatis violetur et B) de licentiâ Superioris quâ vitium proprietatis arcetur.

(1) O. c. t. I n. 240, 1. Et citat Laymann, C. de Lugo, S. Alphonsum, etc.— (2) Cfr. Suarez, tr. 7. L. 8, c. 12, n. 10-13.—(3) C. *Exivi.* art. 16.

1286. — A. De variis modis quibus votum paupertatis violatur.

ACTUS PROPRIETATIS. — Sequentes actus omnes, sine debitâ licentiâ exerciti, voto paupertatis contrarii sunt, nempe 1) acquisitio, 2) renuntiatio, 3) donatio, 4) emptio et venditio, 5) permutatio, 6) absumptio, 7) depositum, 8) commodatum et mutuum, 9) usus, 10) retentio et 11) occultatio.

1287. — 1) *Acquisitio*, id est appropriatio rei temporalis pretio æstimabilis. Quamobrem Bernardus a Bessa [1] merito ait: "Rem aliquam, licet parvam, occulte, id est sine licentiâ accipere, vel habere, quasi furtum frater abhorreat."

1288. — 2) *Renuntiatio*, seu actus quo quis jus aliquod in res temporales abjiciat.

NOTANDUM hic est, Frater, renuntiationem tantummodo prohibitam esse, quando actum dominii continet, v. g. renuntiatio legato sibi facto, renuntiatio rei in quibus jus acquisitum habetur ut in stipendio operis præstiti. Religiosus igitur his rebus sine licentiâ Superioris renuntians, peccat contra votum paupertatis.

Si vero renuntiatio non est actus dominii, religiosus non peccat contra votum paupertatis, sed aliquando exercet actum virtutis, ut si renuntiat rebus sibi sine licentiâ Superioris oblatis, siquidem debito servat modo votum paupertatis; aliquando vero peccat contra alias virtutes.

Etenim si res sibi oblatas recusat et ipse vel alii Fratres, vel conventus inopiâ laborat, eisque indiget, peccat contra caritatem, nam hoc in casu licentia præsumpta Superioris adest; si vero Superior ei præcepit ut res sibi oblatas acciperet, peccat contra obedientiam.

1289. — 3) *Donatio.* — Est gratuita ac liberalis rei collatio, per quam rei dominium a donante in donatarium transfertur. Donatio igitur actus est dominii et a religioso exerceri

(1) *Spec. discipl.* P. 2, c. 2. n. 5.

nequit absque consensu dominorum et Superioris. Sed cum domini rerum ad usum Fratrum Minorum concessarum administrationem judicio Superiorum committant, saltem si non sint magni valoris, eorum consensus communiter præsumitur adesse.

Sed sciendum est, Frater, Clementem VIII [1] et Urbanum VIII [2] prohibuisse et irritasse omnes donationes a Religiosis factas; et a prohibitione largitionis factæ et faciendæ tantummodo excepisse aliquas res minoris momenti ad religionem vel devotionem pertinentes, et de Superioris licentiâ factas aut faciendas.

Unde ad donationem faciendam requiritur 1. ut adsit Superioris licentia; 2. ut res sint parvi valoris; 3. non vanæ et 4. bono ex fine datæ.

1290. — 4) *Emptio et venditio.* — Sunt enim contractus onerosi, mutuo consensu constituti, dandi pretium determinatum pro merce vel mercem pro pretio determinato. Ast talem obligationem civilem Frater Minor, etiam nomine conventûs, suscipere nequit. Et ideo, si etiam licentia Superioris adest, requiritur *quoad emptionem* ut Fratres ita sese gerant ut nullam in se assumant obligationem civilem, et, *quoad venditionem,* ut hæc peragatur per syndicum apostolicum.

1291. — 5) *Permutatio* seu contractus, quo sub æstimatione pretii una res pro aliâ traditur. Cum per permutationem translatio fiat dominii, hoc jure carent religiosi. Habetur tamen permutatio improprie dicta, illa nempe, quâ Fratres Ordinis inter se *res parvi valoris* sibi in usum concessas permutant. Hæc minime lædit votum paupertatis, siquidem ab ipsis Superioribus approbatur; immo caritas postulat ut hanc permutationem faciant, si quâdam re abundant quâ alii indigent.

(1) C. *Religiosæ,* data 1594, 19 Jun.—(2) C. *Nuper,* data 1640, 16 Oct.

1292.—6) *Absumptio*, seu consummatio cibi et potûs. Hic actus manifeste est actus dominii.[1] Peccant igitur religiosi contra votum paupertatis, assumentes esculenta vel poculenta quæ ad usum communitatis sunt concessa, vel sibi ultro ab exteris oblata.

Si tamen his rebus utuntur apud ipsos externos, religiosi non faciunt nisi usum facti rerum, quarum administratio non spectat ad Superiores, quo non læditur votum paupertatis[1].

1293.—7) *Depositum*, seu contractus quo res aliqua suscipitur custodienda, ut tradenti in naturâ restituatur.

Si religiosus sese obligat ad rem fideliter custodiendam, et statuto tempore restituendam, et damnum, quod in re ex culpâ latâ contingit, resarciendum, actum dominii exercet, sese adstringendo ad restitutionem, et peccat contra votum paupertatis. Sed si agitur de simplici quâdam præstitâ rei custodiâ, absque ullâ obligatione civili, hoc etiam religioso licitum est.

1294.—8) *Commodatum*, et *mutuum*:—*commodatum* est contractus quo res in usum ad certum tempus alteri conceditur cum obligatione eamdem post usum restituendi.

Mutuum autem quo res primo usu consumptibilis alteri traditur cum obligatione aliam rem ejusdem naturæ et bonitatis statuto tempore reddendi. Ast cum religiosi nullam obligationem civilem in se suscipere possint, hi contractus vi voti paupertatis eis prohibiti sunt. Si tamen hæc obligatio civilis abest, de licentiâ Superioris hos actus ponere possunt religiosi.

1295.—9) *Usus*.— Qui sine licentiâ Superioris rem quamdam in usum suum recipit, aut alteri dat, proprietarius est; quia talis, cum requisita ad simplicem usum facti dependentia desit, jus utendi et disponendi cui per votum pauper-

(1) Cfr. Vermeersch. t. I, n. 256. 4.

tatis amore Christi renuntiavit, sibi attribuit. Rogo te, carissime Frater, ut verborum eximii theologi, nempe card. Lugonis, semper memor sis. Ex hoc capite peccat religiosus contra votum paupertatis, ait [1], "ut si vestes quæ ad annum durare possent, suâ latâ culpâ intra sex menses consumantur, ita ut conventus ad novos sumptus faciendos obligetur; idem dici potest de libris, de chartâ, oleo, et similibus, in quibus majorem curam debet religiosus habere, quam si esset eorum dominus, cum solum habeat usum facti, et non possit pro libito ea consumere. Hæc tamen obligatio non facile perveniet ad peccatum grave in usu earum rerum, ob quas conventus in bonis communibus detrimentum non sentit, ut si ex eleemosynâ accipis vestem ab amico, vel aliqua comestibilia cum licentiâ, quæ tamen ob tuam negligentiam corrumpuntur et destruuntur: in aliis, quæ ex bonis communibus participamus, diligentiores debemus esse, et eo magis ad eorum conservationem attendere, quod liberalius communitas ipsa providet et fidit nostræ curæ, non numerando, vel mensurando, chartam, oleum, candelam, et alia, sed nos singulos quasi œconomicos et administratores rerum communium constituendo, ut nobis juxta nostrum arbitrium et conscientiam de rebus necessariis provideatur, nullâ petitâ, aut redditâ ratione de modo quo consumuntur." Jam vero, Frater, hæc dicta sunt religiosis in communi paupertatem observantibus, quid igitur de Franciscanis!

1296.— 10) *Retentio*, rei ultra tempus ad quod conceditur, v. g. librorum ad usum communem concessorum. "Hoc tamen non erit grave, præsertim si alter qui indigeat facile detentorem agnoscere possit [2]."

1297.— 11) *Occultatio*, id est, aliquid abscondere ut hoc liberæ Superioris dispositioni subducatur, nam hic actus est

(1) *De Justitia et Jure*, D. 3, Sect. 8, n. 169.— (2) VERMEERSCH, t. I, n. 256, 8.

proprietarii. "Exinde tamen immerito concluderetur, ait noster P. Piatus [1], semper proprietarium agere, qui aliquid clave obseratum retinet sine Superioris licentiâ," ne v. g. alii rem importune videant, ne prælatus inferior, qui usum rei permisit, petat revocationem. Talis enim, etsi peccare potest contra obedientiam, tunc tantum proprietarius censendus est, si rem ita custodit, et illam retinet modo sibi proprio et particulari, quasi propria sit, et ita Superior de eâ disponere nequit.

1298.— CONCLUSIO.— Supradicti et ceteri omnes actus, ut *testatio* etc., in quibus jus aliquod exercetur dominii, per votum paupertatis prohibentur. Inde sequitur Frater, *per se* vitio proprietatis non inquinari religiosos *a)* qui *administrationem* habent rei alterius, hujus nomine factam, *b)* qui acceptant pecuniam *in opera pia*, v. g. in favorem pauperum; nam si pecuniæ ad arbitrium possent in usus etiam profanos adhiberi, religiosus reapse acciperet commoditatem se gerendi ut dominus, quod est contra votum [2]. In his enim et similibus actibus religiosus nullum actum proprietatis, aut administrationis nomine proprio, sed alieno exercet.

Dicimus *per se*, nam supradicti actus repugnare possunt statui religioso et obedientiæ. Non enim decet ut pauper Christi, religiosus nempe, administrationem rerum temporalium accipiat, et Superior optimas ob rationes et aliis non manifestandas præcipere potest ne v. g. pecunia etiam in aliquem usum pium acceptetur.

1299.— B) **De licentiâ Superioris ut vitium proprietatis arceatur.**

Cum religiosi ex unâ parte rebus temporalibus renuntient, et ex alterâ parte necessariis vitæ indigeant, prudentissime simul et providentissime a S. Matre Ecclesiâ statutum est [3],

(1) O. c. P. III, c. 2, punct. 1, q. 277, n. 5.— (2) VERMEERSCH, o. c. T. I, n. 257, 3.— (3) Cfr. v. g. Nicol. III. c. *Exiit*, a. 5, Concil. Trident. Sess. 25, *De Regul.* c. 2.

ut Superiores essent fideles dispensatores ac administratores, ita ut nihil superflui sit in rebus quibus religiosi utuntur, nihil etiam quod sit necessarium eis denegetur.

Jam vero variæ inveniuntur licentiarum species quorum 1) aliæ referuntur ad formam seu modum quo a superiore conceduntur, 2) aliæ vero ad substantiam seu valorem quo dotantur.

Etsi hæc materia ad theologos spectat. paucis tamen verbis hæ variæ licentiæ exponendæ sunt et earum valor dijudicandus.

1300. — I. ***De licentiis quoad formam quâ conceduntur.*** Quoad formam, licentia alia est expressa, alia vero tacita, alia demum præsumpta.

a) LICENTIA EXPRESSA habetur quando Superior petenti vel non petenti, verbis, litteris aut aliis signis manifeste suum consensum manifestat.

b) LICENTIA TACITA. Si vero Superior præsens de re conscius, tacet ubi tamen facile contradicere potest, consentire videtur et licentia dicitur tacita.

Generalis vel particularis. Licentia tum expressa, tum tacita, potest esse generalis vel particularis.

Particularis expressa illa est quam Superior in casu particulari subdito expresse præbet.

Particularis tacita nominatur illa quam subditus in casu particulari seu speciali infert, Superiore præsente et tacente.

Generalis expressa habetur quando Superior subdito aliquid in ævum vel ad certum tempus universaliter concedit.

Generalis tacita illa nominatur, quæ ex universali communi usu, consuetudine in Provinciâ aliquâ vel conventu habetur, vi cujus subditi etiam timorati et docti certas quasdam res accipere, habere, erogare, vel eis uti solent, absque ullâ petitâ licentiâ Superioris, eo tamen id universaliter sciente et non contradicente.

QUID DE HIS LICENTIIS DICENDUM? — Licentiæ hæ omnes sufficiunt ut religiosus a violatione voti paupertatis immunis sit. Etsi licentia expressa longe melior est, tacita etiam valet, modo rite interpretetur.

c) LICENTIA PRÆSUMPTA. — Præsumpta dicitur licentia quam de Superiore nunc absente subditus rationabiliter præsumit, prudenter judicans Superiorem suum non obstare quominus re aliquâ utatur. Oportet igitur ut Superior facile adiri nequeat, alias nulla est ratio Superioris consensum præsumendi. Excipiunt tamen graves Theologi [1] casum quo religiosus ob respectum aliquem humanum, pudorem, nimiam timiditatem, vel aliam similem difficultatem non audet Superiorem adire; dummodo præsumere possit Superiorem non esse quoad factum invitum neque hunc modum illi displicere.

1301. — QUID DE HÂC LICENTIÂ DICENDUM? — Hæc licentia 1) dummodo rite fiat, sufficit ad vitium proprietatis arcendum; 2) raro eâ religiosus utatur necesse est, et 3) semper decet, et aliquando necessarium est, ut post factum Superiori manifestetur.

1) **Rite facta sufficit.** — Religiosus enim, sic agendo, re utitur, non ex animo jus habentis, sed ex virtuali voluntate Superioris, et sese in ipso actu prodit Superiori suo obnoxium [2].

Necesse tamen est, Frater, ut voluntas Superioris rationabiliter interpretetur et subditus inquirat ne Superior invitus sit quoad rem seu substantiam facti, neque quoad modum quo agitur, non prius petitâ veniâ.

QUOAD SUBSTANTIAM. — Si subditus igitur perspicit Superiorem quoad usum alicujus rei esse invitum, impossibile omnino est licentiam præsumptam haberi, et usus rei est contra votum paupertatis.

(1) SUAREZ, o. c. Tr. 7. L. 8 c. 11 n. 10; DE LUGO, 3 d. n. 126; cfr. P. Piatus, t. 1, P. 3, c. 2, q. 279.— (2) VERMEERSCH, I. n. 260, 3.

Si vero judicat Superiorem non obstare quominus subditus re aliquâ utatur, sed eum absolute velle licentiam peti, licentia præsumpta nullo modo haberi potest; siquidem Superior adhuc invitus censetur quoad substantiam rei.

QUOAD MODUM. — Casu quo subditus rationabiliter perspicit Superiorem non esse invitum quoad usum alicujus rei, sed eum solummodo ægre ferre licentiæ prætermissionem, excusatur a vitio proprietatis, sed peccat contra obedientiam, sese debito modo Superiori non subjiciendo.

1302. — 2) Licentiâ præsumptâ raro utendum est. — Ubi disciplina religiosa viget, rarissime religiosi utuntur licentiâ præsumptâ. Hanc veritatem optime exponit Neudecker [1]: "Licentia præsumpta apud Superiores strictioris disciplinæ rarius admittitur, ait, præsertim si facile differri potest acceptatio rei usque ad præsentiam Superioris. Ratio est, quia amor proprius miris modis subditos, præsertim alias laxos excæcat, et facile Superioris consensus præsumitur; ubi tamen is, si resciret, sæpe positive consensum denegaret, contrarius non solum quoad modum, sed etiam quoad substantiam."

1303. — 3) Semper expedit, et aliquando necessarium est ut post factum Superiori manifestetur.

Semper expedit: Oportet enim ut subditus in omni re semper et ubique suo Superiori obnoxius sit.

Aliquando necessarium est: Ratio: quia licentia requiritur tum ad accipiendum, tum ad retinendum.

Si res igitur jam est consumpta vel alienata, expedit quidem, sed non absolute necessarium est quidquam Superiori manifestare, cum ad præterita non possit deservire licentia præsens. Si vero res ad usum Ordinis vel alicujus religiosi in particulari donata est, tunc modus agendi manifestandus est Superiori. Res enim manet sub ejusdem administratione.

(1) O. c. P. 2, o. 25, n. 25.

1304. — II. *De licentiis quoad substantiam.*

Quoad substantiam seu valorem quo dotantur licentiæ, aliæ sunt licitæ vel illicitæ, aliæ vero validæ vel invalidæ.

a) LICENTIA LICITA ET ILLICITA: *licita* nominatur licentia quæ a legitimo Superiore procedit et ob motivum sufficiens conceditur.

Illicita vero quæ, etsi a legitimo Superiore conceditur, non datur ob rationem sufficientem.

Quid de licentiâ illicitâ dicendum? — Licet religiosus eâ uti non possit, sufficit tamen ut neque Superior qui eam concedit, neque inferior qui eâ utitur contra votum paupertatis peccent, etsi aliquando peccare possunt etiam mortaliter contra statum paupertatis, ut infra dicetur.

b) LICENTIA VALIDA ET INVALIDA: *valida* vocatur illa quam Superior concedere potest et de facto libere concedit.

Invalida autem quam concedere nequit vel involuntarie concedit.

Quid de licentiâ invalidâ dicendum? — Attendendum potissimum est, Frater, tum ad potestatem Superioris, tum ad ejusdem libertatem.

1) POTESTAS SUPERIORIS. — Quando Superiori *deest potestas* aliquid concedendi, licentia nulla reputatur et tam Superior eam largiens quam inferior eâ utens et de nullitate conscius, peccant contra votum paupertatis.

Sed inquires forte, Frater, *quandonam Superiori hæc facultas desit?* Hic necesse est ut respicias ad legem et dein ad objectum seu rem quæ conceditur.

QUOAD LEGEM. — Si ex lege prohibetur quominus Superior aliquam concedat licentiam, eo ipso licentia si datur est nulla. Ast, lege statutum est ut Superior altior suâ prohibitione licentiam ab inferiore Prælato jam datam, non solum revocare, sed etiam futuram invalidam reddere possit.

Sed ut ejus prohibitio hunc producat effectum, necesse est ut sub peccato obliget. Unde:

a) Licentia ab altiore Prælato simpliciter negata adhuc ab inferiore Prælato valide sed illicite impetrari potest, nisi prior prohibitioni etiam nullitatem licentiæ alterius Superioris adjunxit. Attamen per hujusmodi agendi modum religiosus peccat contra debitam subjectionem, etsi per se non graviter; et idem dicendum est de subdito qui repulsam petitionem ab inferiore Prælato factam altiori celat, ut facilius licentiam impetret. [1]

b) Licentia ab antecessore Prælato data, quando officio suo functus est, per se non exspirat. [2]

QUOAD OBJECTUM, seu rem quam Superior concedit. Superior enim licentiam concedere posset ad res vanas, superfluas, turpes quæ statui paupertatis sunt contrariæ, hoc in casu, potestate præditusne est hanc licentiam concedendi?

Ut per se patet, talis licentia est illicita, utrum vero etiam invalida sit necne, non plane constat. [3] Quidquid est de hâc controversiâ, Frater, etiam si non admittitur religiosum in tali casu, licentiâ Superioris munitum, esse proprietarium; sciendum est eum in materiâ gravi graviter peccare contra statum paupertatis, ita ut sacrilegium committat votum violando. Nam, attendendum est, ut de Lugo dicit [4]: "votum paupertatis non prohibere solum vitium proprietatis, uti dixi, sed ea etiam quæ pauperum statui repugnant."

2) LIBERTAS SUPERIORIS.— Alia conditio ad licentiam invalidam stabiliendam est examen circa Superioris libertatem. Si subditus vi utitur, aut metum adhibet, vel Superiorem suum fraude decipit ita ut error causa sit ejusdem consensûs, licentia est nulla et religiosus eâ utens inquinatur vitio proprietatis.

---

(1) LEHMKUHL, I, 525.— (2) LEHMKUHL, I, l. c. — (3) Cfr. Sanchez in Decal. L. 7, c. 19, n. 21, qui negat hanc licentiam esse validam; de Lugo l. c. D. 3 n. 136, sq. qui affirmat.— (4) D. 3, Sect. VII, n. 132.

Sed religiosus, delinquendo contra votum paupertatis, peccat non solum vitio proprietatis, sed etiam aliquando contra statum paupertatis professæ.

§ II.— *De vitio contra statum paupertatis.*

1305.— Quid status paupertatis? — Status paupertatis, uti jam vidimus, ratio est vivendi hominum nullius aut saltem exiguæ fortunæ.

Quinam status paupertatis Franciscanorum?

Ratio in paupertate vivendi plures habet gradus, et Fratres Minores inter omnes religiosos supremum omnium profitentur, nam usum facti rerum temporalium sibi tantummodo retinent.

Quando Frater Minor contra statum paupertatis peccat?

Quidquid in morali æstimatione videtur rationi vitæ professæ notabiliter derogare, i. e. sumptuosus tenor vitæ, præsertim habitualis, graviter obligationi agendi vitam pauperem adversatur. [1] Unde Frater Minor graviter peccat et sacrilegium committit, quando in re gravi, gravem et immoderatum usum habet rerum temporalium.

Inquirendum igitur venit 1) de usu rerum temporalium Fratribus Minoribus licito et 2) de modo quo moderatus usus stabiliatur.

I. — *De usu rerum temporalium Fratribus Minoribus licito.*

1306.— Cum in Ordine Minoritico solum usus facti rerum temporalium sit licitus, dicemus A) quotuplex sit usus facti; B) quinam usus eis præscribatur a Regulâ, et C) quibus in rebus observandus sit.

(1) Albertus a Bulsano. *Expos.* cap. VI, a. 3, § 85. n. 1.

1307. — A) **Quotuplex usus facti?** — Usus facti quatenus Fratribus Minoribus licitus est, dividitur *a)* in usum arctum et *b)* in usum moderatum.

1) *Usus arctus* ille est qui nonnisi summe necessaria ad vitæ conservationem præbet variaque proinde incommoda producit, et in illis inveniri solet, qui summâ egestate premuntur, dum ex. g. unicam, eamque vilem et obsoletam vestem, et pro victu tantummodo legumina et panem habent. [1].

2) *Usus moderatus* ille est qui tum ab abundantiâ, tum a notabili penuriâ remotus, variis quidem divitum commodis caret, sed nec in magnâ egestate degentium incommoda sentit [2], ut qui ex labore manuum vitam agunt.

1308.— B) **Quinam usus præscribitur?**— Regula generalis est, Frater, usum moderatum Fratribus Minoribus concessum esse a Regulâ, nisi ipsa eos ad usum arctum adstringit. Etenim

1) *Usus moderatus generatim præscribitur.* — Nicolaus III dicit: [3] " Necessariarum rerum tam ad vitæ sustentationem quam ad officiorum sui statûs executionem, excepto quod de pecuniâ infra subjungitur, *moderatus* usus secundum eorum Regulam et veritatem omnimodam concessus est Fratribus."

2) *Ipsa tamen Regula ad usum arctum aliquando obligat Fratres*, nam Clemens V [4] ait: " Declarando dicimus, quod Fratres Minores ex professione suæ Regulæ specialiter obligantur ad arctos usus, seu pauperes, qui in ipsorum Regulâ continentur. "

C. — Inquirendum igitur est *a)* **in quibus usus arctus præscribitur et** *b)* **in quibus vero usus moderatus licitus sit.**

1309.—1) IN QUIBUS REBUS REGULA USUM ARCTUM PRÆSCRIBIT.—Regula hunc usum imponit 1) in paucitate et vili-

(1) ALBERTUS, l. c.— (2) ALBERTUS A BULSANO, l. c.— (3) C. *Exiit.* a. 3, Textus originales, p. 194. — (4) C. *Exivi.* a. 18. l. c. p. 256.

tate vestium; 2) in non portandis calceamentis; 3) in non equitando; 4) in non recipiendo denarios et 5) in mendicatione victûs.

a) In paucitate et vilitate vestium. — PAUCITAS: Regula enim ait [1]: "Illi, qui promiserunt obedientiam, habeant unam tunicam cum caputio, et aliam sine caputio, qui voluerint habere." En, Frater, præceptum æquipollens, quo Minoribus prohibetur aliis vestimentis uti, quam illis, quæ a Regulâ ipsis conceduntur.

Notandum tamen est, Nicolaum III [2] declarasse ea omnia quæ Fratrum vestimenta spectant, judicio prælatorum remittenda esse, qui attentis necessitatibus et circumstantiis circa pluritatem vestimentorum dispensare possunt.

VILITAS: "Quæcumque sunt in usum verorum pauperum, ait S. Bonaventura [3], sunt juxta paupertatis regulam mensuranda." Unde Seraphicus Pater [4] præcepto æquipollenti nos adstringit ad vestimentorum vilitatem quæ secundum uniuscujusque Provinciæ consuetudinem et majorum Superiorum judicium est dijudicanda.

b) In non portandis calceamentis.—Præcepto æquipollenti [5] Fratres Minores tenentur ad incedendum sine calceamentis, hoc est, absque aliquo quod pedem cooperiat, nisi adest vera necessitas. Licite tamen sandaliis uti possunt, quæ non sunt vera calceamenta.

c) In non equitando.—S. Franciscus ut Fratres itinerantes humilitatem, austeritatem et paupertatem exerceant, præcipit [6] ut ab equitatione abstineant.

d) In non recipiendo denarios. — Hic habetur, Frater, præceptum gravissimum, impositum non tantum subditis, sed etiam Prælatis Ordinis, etiam Generalibus. Unde sine dispensatione Apostolica nullus Frater denarios recipere potest in dominium, neque in usum, neque per seipsum,

(1) Reg. cap. 2.— (2) C. *Exiit* a. XIV. l. c. p. 213.— (3) Expos. Regul. cap. 2. n. 24.—(4) Reg. cap. 2.—(5) Reg. cap. 2.— (6) Reg. cap. 3.

neque per interpositam personam, nisi in extremâ necessitate et ob alias rationes, de quibus agitur apud Expositores Regulæ.

e) In mendicitate victûs. — Per labores et eleemosynas sponte oblatas Fratres Minores vivere tenentur. His deficientibus, Seraphicus Pater [1] Fratribus suis, uti vidimus [2], mendicationem imponit.

1310. — 2) IN QUIBUS REBUS USUS MODERATUS LICITUS EST. — Cum S. Regula usum arctum ad supradictos casus restringat, sequitur, Frater, usum moderatum nobis licitum esse in ceteris, ut 1) in ædificiis et ecclesiis, 2) in ornamentis altarium, paramentis et vasis sacris, 3) in cibo et potu et 4) in utensilibus.

a) In ædificiis et ecclesiis. — Seraphicus Pater in suo Testamento circa ædificia, Fratres suos instruit dicens: "Caveant sibi Fratres, ut ecclesias et habitacula, et alia omnia quæ pro ipsis construuntur, penitus non recipiant, nisi essent sicut decet sanctam paupertatem, quam in Regulâ promisimus observare, semper ibi hospitantes tanquam peregrini et advenæ."

Ast Clemens V [3] hâc in re strictam obligationem Fratribus Minoribus imponit, dicens: "Cum vir sanctus Fratres suos in paupertate summâ ac humilitate fundare voluerit... ideoque volumus quod ubique in suo Ordine deinceps temperatis et humilibus ædificiis sint contenti, ne huic tantæ paupertati promissæ quod patet oculis contrarium foris clamet." Jam vero, Constitutiones nostræ hunc indicant usum moderatum [4] et clare demonstrant, ait Albertus a Bulsano [5], pro nobis Capuccinis non tam regulas architecturæ quam regulas paupertatis observandas esse.

b) In ornamentis altarium et vasibus sacris. — Licet ornamenta quæ propius ad sacrosanctæ Eucharistiæ mysteria

(1) Reg. cap. 5.— (2) Cfr. n. 1558 seq. — (3) Const. *Exivi.* a. 15. l. c. p. 254.— (4) Cfr. n. 94 et seq.— (5) Cap. 6, § 88, n. 3.

pertinent, pretiosa esse possint, siquidem ipse Seraphicus Pater in Testamento dicit: "Et hæc sanctissima mysteria volo super omnia honorare et venerari, et in locis pretiosis collocare," eorumdem tamen copia aut excessiva pretiositas illicita est. Quoad alia ornamenta et paramenta standum quidem est ad observantiam decretorum S. Rituum Congregationis [1]. Sed, usus moderatus sit omnino necesse est. "Quamvis paramenta et vasa ecclesiastica ad honorem divini nominis ordinentur, propter quem omnia ipse fecit Deus; tamen qui absconditorum est cognitor, ait Clemens V [2], et ad animum sibi ministrantium respicit principaliter, non ad manum: non per illa sibi vult serviri, quæ suorum servitorum conditioni et statui dissonarent. Propter quod sufficere eis debent paramenta et vasa ecclesiastica decentia, et in numero et in magnitudine sufficientia competenter." Et Constitutiones nostræ [3] hunc usum moderatum exacte taxant. Altaria et candelabra levigata esse possunt, sed ex ligno confecta [4].

c) In victu seu in cibo et potu. De usu moderato in victu observando loquuntur Constitutiones nostræ [5]: "In mensam nisi sufficientes et statui paupertatis nostræ consentanei cibi imponantur; et meminerint Fratres necessitati explendæ pauca suppetere, nihil vero concupiscentiæ."

d) In utensilibus.— Nomine utensilium intelliguntur ea omnia quæ inserviunt *a)* ad officinas communitatis et *b)* cellas religiosorum in debitum ordinem collocandas, et *c)* hoc nomine etiam comprehenduntur omnia instrumenta quibus utuntur religiosi ad varia opera perficienda. Nicolaus III [6] circa utensilia paupertatem graviter inculcat, superfluitatem et proprietatem prohibet dicens: "In omnibus appareat in eis quoad dominium omnimoda abdicatio, et in usu necessitas." Unde in specie

(1) Cfr. Decret. S. Rit. Cong. 17 Dec. 1888. Et. Const. n. 99. — (2) C. *Exivi.* c. 16. l. c. p. 254.— (3) Cap. VI, n. 99.— (4) N. 99. cfr Alb. a Bulsano, c. VI. § 90. n. 3.—(5) Const. O. M. C. n. 68.—(6) C. *Exii*, a. 5.

1) QUOAD OFFICINAS COMMUNITATIS, necesse est ut sancta paupertas in omnibus utensilibus reluceat et omne quod absolute sive relative pretiosum est, Superiorum Provinciæ judicio exquisito, removeatur.

2) QUOAD CELLAS.— Omnia mobilia Fratris Minoris spiritu Seraphico imbuti, consistunt in lecto, in imaginibus crucifixi, B. M. Virginis et alicujus sancti, in lucernâ, scamno, in *necessariis* libris et aliis rebus ad officium rite adimplendum requisitis. Omnia vana et mundana ornamenta sunt contra statum paupertatis et pretiositas etiam fugienda est in rebus ad devotionem spectantibus.

3) QUOAD INSTRUMENTA AD USUM PERSONALEM.— Omnia instrumenta etiam necessaria, si sint pretiosa, sunt contra statum paupertatis. Religiosi qui his utuntur, ultro scandalum persæpe præbent sæcularibus eisque nauseosi sunt et causa cur animos a religiosis alienos habent.

Sed difficilius est determinare qualis sit usus moderatus Fratribus Minoribus licitus.

II.— *De modo usum moderatum stabiliendi.*

1311.— Ut Fratres Minores re quâdam temporali licite utantur requiritur ut hæc ipsis necessaria sit: "In omnibus appareat in eis quoad dominium omnimoda abdicatio, ait Nicolaus III [1], uti jam diximus, et *in usu necessitas.*"

Oportet igitur A) ut accurate addiscas naturam necessitatis ad usum moderatum requisitæ, ut rite perspicias quæ ab hoc usu eo ipso excludantur, et dein B) ut optime scias quid in dubio circa usum moderatum sit faciendum.

1312.— A) **De naturâ necessitatis ad usum moderatum requisitæ et de iis quæ ab hoc usu excluduntur.**

1) **De naturâ necessitatis.**— Dicemus *a)* quid et quotuplex

(1) C. *Exiit*, a. 5, l. c. p. 199.

sit necessitas et *b)* quænam necessitas ad usum moderatum requiratur.

a) Quid necessitas: "Necessarium dicitur, ait S. Thomas [1], uno modo per quod melius pervenitur ad finem, alio modo sine quo res non potest consequi suum effectum."

Quotuplex est necessitas?— Principio S. Thomæ innixi auctores [2] triplicem distinguunt necessitatem: nempe extremam, gravem et accommodam.

Extrema, dum sine usu rei vita sustentari, vel officium impleri nullatenus potest.

Gravis, cum sine usu rei admodum ægre vita ducitur, aut officia implentur.

Accommoda, quæ ex certis circumstantiis facit ut aliquid necessarium, vel valde conveniens sit.

b) Quænam necessitas ad usum moderatum requiritur.— "Convenit jam inter omnes, ait Albertus a Bulsano [3], quod non requiritur necessitas extrema, aut gravis, sed quod sufficiat accommoda ad usum licitum constituendum."

1313.—2) De iis quæ ab usu moderato excluduntur.

Cum ad usum moderatum omnino requiratur ut res valde conveniens sit ad vitam Seraphicam ducendam et officia nobis imposita adimplenda, sequitur ab eo usu excludi superfluum, curiosum et pretiosum. "Superfluum enim opponitur necessario, et necessaria dici nequit res pretiosa et curiosa, si ad eumdem finem res vilior, simpliciorque sufficit [4]." Etenim

a) Superfluum, est id, quo sublato, reliquum commode sufficit ad usum moderatum, ut duorum, si unum sufficit, tunc superfluit alterum.

b) Curiosum, autem est id, quod fit ad delectationem sensuum immoderatam: ut picturæ, cellæ pulchritudo et decor, ubi simplex ædificium vel aliud ejusmodi absque talibus

(1) 2. 2. q. 83, a. 13.— (2) Cfr. Albertus a. Bulsano, § 59, n. 1.—(3) Cap. 6, § 86, n. 1.— (4) A. a. Bulsano, l. c.

curiositatibus picturarum et pulchritudinum sufficit ad usum moderatum.

c) Pretiosum demum est quod ultra valorem rei sufficientis ad usum moderatum habet, ut ubi sufficit calix argenteus, quærere aureum [1]. Si quid igitur superfluum, curiosum aut pretiosum habetur magis quam convenit ad usum moderatum, hoc est illicitum in rebus omnibus, quarum usum moderatum tantum possumus habere. Unde in usibus rerum temporalium *manifeste* statui paupertatis contrariarum peccat religiosus, etiamsi licentiâ superioris est munitus.

Sed ultro inquirendum est quid in dubio circa usum moderatum sit agendum.

1314.— B) De modo agendi in dubio circa usum moderatum.

In rebus dubiis circa usum moderatum rerum temporalium 1) inferiores judicio Superiorum tuto stare possunt ac debent, unde 2) inferiores quoad hoc punctum feliciores sunt quam Superiores; 3) eis non licet temere et leviter acta Superiorum decantare, etsi 4) eis tamen licet abusus Superioribus majoribus manifestare.

1315.—1. In rebus dubiis inferiores judicio Superiorum tuto stare possunt ac debent.

Hoc aperte docet Nicolaus III [2], de usu paupere seu arcto agens, ait: "Hoc autem secundum exigentiam personarum et locorum Ministri et Custodes simul et separatim in suis administrationibus et custodiis cum discretione disponant: cum de talibus interdum personarum qualitas, temporum varietas, locorum conditio et nonnullæ aliæ circumstantiæ plus minusve ac aliter provideri requirant." Inferiores igitur tuto stare possunt judicio Superiorum, non tantum quoad moderatum, sed etiam arctum rerum temporalium usum.

---

(1) CORDUBA, cap. 6, q. 14, p. 663, 665.— (2) C. *Exiit*, a. 5, n. 2.

Immo et debent. — " Mandamus, ait Joannes XXII [1], teneri Fratres sequi arbitrium et judicium Superiorum: et insuper, quod sequendo judicium Superiorum illis parendo nec sint, nec dici possint vel debeant suæ Regulæ, vel Constitutionum sui Ordinis transgressores." Et merito quidem; nam, ut Nicolaus III [2] jure notat, varia attendenda sunt ad rite de hoc usu judicandum, sic e. g. tempore infirmitatis, aut laboris magni, aut festi, et hujusmodi lautior cibus aut delicatior, seu major reputatur moderatus qui alio tempore est superfluus, et nimis pretiosus [3].

In his et similibus casibus judicium de usu moderato ad Superiores unice spectat et spectare potest, ut omnibus hoc serio attendentibus apparet.

1316. — 2. **Feliciores sunt in hoc puncto inferiores Superioribus.**

Cum subditi in rebus obscuris, incertis et dubiis secure stare valeant Superiorum judicio, longe feliciores sunt quam ipsi Superiores, qui coram Deo rationem dare tenentur [4]. Nam *prælatus peccat contra votum paupertatis si expendit, vel dat licentiam expendendi in superfluis, inferiores autem non inquinantur vitio Superiorum.*

Superiores peccant. — " Nam, ait de Lugo [5], sive licentia illa valida sit, sive invalida, certum est illicite fieri illos sumptus et contra paupertatis votum."

Inferiores non inquinantur. — S. Bernardinus Senensis [6] hæc habet verba memoratu digna: " Quod si in locis sit magna superfluitas, vel curiositas, ex eis non vitiantur Fratres, *nisi solum introducentes*, vel *consentientes*, vel *si ad eorum officium pertinet* et possunt, vel quicumque alii (si commode possunt et legitime) et *non resistentes*, et non alii, qui dictis rebus utuntur ob aliquam necessitatem vel

(1) Extr. *Quorumdam* et *Quocirca.* — (2) C. *Exiit*, a. 5. n. 2. l. c. p. 199. — (3) Alb. a BULSANO. § 85, n. 4. — (4) Cfr. Neudecker, P. 2, c. 25, n. 29. — (5) D. 3, S. 8, n. 113. — (6) Epist. ad Patres familiæ Utramontanæ. Op. t. III. p. 481. Ed. Lugd. 1650.

scandali evitationem." Ex hoc patet, ait P. Corduba [1], " quod Fratres, qui nolunt paucis esse contenti, neque parati sunt ad patientiam, si non eis adveniat semper victus necessarius, sed statim murmurant, et conturbant domum... et ex hoc prælati moventur ad prædictos abusus contra Regulam... tales, inquam, Fratres sunt potissima causa talium abusuum Prælatorum, et sunt maxime culpabiles."

1317. — 3. Subditis non licet temerarie acta Superiorum decantare.

Superioribus obligatio incumbit subditis suis moderatum, seu statui paupertatis convenientem victum suppetitandi. Ast prudentia administrationis postulat, ut quantum status œconomicus conventûs permittit, Prælati potissimum in victu concedendo potius abundent quam subditos penuriam pati sinant [2]. Apprime probat de Lugo [3] verissimum esse S. Bernardi pronuntiatum: " Ubi non est abundantia, non est observantia." Et quidem, ait, maximum est inobservantiæ et relaxationis periculum, si communitas non provideat abundanter subditis intra limites paupertatis religiosæ: singuli enim statim attendunt ad providendum sibi, et sub specie necessitatis incipit natura nostra quærere etiam commoditates. Quare multo melius est alere competenter et sufficienter centum religiosos, quam 150 minus sufficienter; quia illi centum conservabunt disciplinam et observantiam regularem, quam plures alii omnino evertent."

" Unde errant Fratres subditi, merito dicit Adnotator in Albertum a Bulsano [4], qui proprio sensui innixi, pacem perturbare, reverentiam et amorem Superioribus debitum imminuere non timent, ex falso resistentiæ principio, ipsorum Superiorum acta ac gesta quasi tot relaxationes temere aut leviter decantantes." Sciendum enim est Superiores in hoc casu non minus malum permittere ad majora cavenda, sed

(1) Cap. 6, q. 14, p. 668.— (2) Cfr. Albertus a Bulsano, cap. 6, § 91, n. 2.— (3) D. 3, S. 8, n, 180.— (4) p. 305.

positive actus bonos et rectos prudentiæ ponere: administrando res temporales ut oportet. Virtutes enim sunt inter se amicâ fœderatione adunatæ.

1318.— 4. Inferiores possunt abusus Superioribus majoribus manifestare.

Attamen, si subditi arbitrantur, ait Politius [1], "Ministros et Custodes male circa prædicta se habere, immoderatum et superfluum usum, curiosum vel pretiosum procurando... possent tunc et deberent (si viderint expedire) suum judicium prædictis prælatis humiliter notificare. Quod si eorum sententiæ et judicio non assenserint, ipsorum Prælatorum determinationi et præcepto obediant, et proprio non innitantur sensu... et patienter exspectent visitationem Superioris Prælati, cui propriam sententiam et judicium notificare poterunt. Quod si adhuc Regulam a talibus relaxationibus, eas Superiori Prælato revelando, expurgare non poterunt, relinquant judicio divino, et sic faciendo tuti erunt subditi in conscientiâ, alias non."

1319. — CONCLUSIO. — Ex hactenus de voto paupertatis dictis, clare apparet, Frater, nos Franciscanos præ ceteris religiosis vi voti teneri ad usum rerum temporalium magis moderatum. Unde merito id concludit Corduba [2]: "Quod aliquibus Fratribus nostri Ordinis qui nolunt paucis esse contenti, neque esse parati penuriam pati aliquando propter observantiam professionis promissæ... melius fuisset, si aliam Religionem reformatam intrassent, ubi communiter vivitur habendo aliquid proprium in communi cum minore distractione et sollicitudine." Ratio est, quia hoc in casu status paupertatis Minoriticæ licet de se perfectissimus, redditur talibus imperfectior, siquidem habet annexam sollicitudinem magis distractivam a divinis quam in religionibus in communi possidentibus.

---

(1) Cap. 6, n. 95, p. 592.—(2) Cap. 6, q. 16, p. 685.

"Regulariter enim, ait [1], si nihil habentes volunt ita vivere, seu abundare, et ita esse certi de suo victu, et vestitu ordinario, quod eis non deficiat ullo modo, sicut reddituarii, et nisi velint parcius vivere, et esse parati ad patiendum penuriam aliquando... oportet eos magis distrahi, vel contra aliqua præcepta Regulæ, vel legis divinæ facere, vel cogere Prælatos ad sollicitandum, distrahendum, vel culpabiliter faciendum."

§ III. — *De obligatione vitæ perfecte communis ducendæ.*

1320.—Ex statu et voto paupertatis, tanquam effectus ex propriâ causâ, dimanat vita communis, quæ "in eo consistit ut bona quæcumque, redditus, emolumenta, aliaque omnia, quæ quovis titulo religiosis obveniunt, in usum religiosæ familiæ plene conferantur, et ipsum victum, vestitum, aliaque necessaria a conventu in communi accipiant; Superiores nihil quod sit necessarium religiosis denegent, et religiosi nihil quod sit superfluum exigant [2]."

Huic obligationi vitæ perfecte communis repugnat peculium. Videbimus 1. quid sit peculium, 2. quotuplicis sit generis, et 3. quid specialiter pro nobis statutum sit.

1321.— 1. Quid est peculium? — Peculium *juridice* [3] est pusillum quoddam patrimonium. Apud *religiosos* vero est quædam derogatio vitæ communi, et sic describi potest: "bonum pretio æstimabile, quod, separatum a rebus monasterii, religiosus ad suos usus sinitur possidere, administrare, detinere, præter id quod præsens ipsius necessitas moraliter requirit [4]."

1322. —**2. Quotuplicis est generis?** — Duplex distingui debet peculium, nempe: *a)* juris *perfecti* et *b)* juris *imperfecti*.

---

(1) L. c. p. 684.— (2) Ita in 3° schemate Const. Concilii Vaticani. *De vitâ communi.* — (3) C. *Depositi* 5 § ult. D. De Peculio. — (4) VERMEERSCH, o. c. t. I, p. 273.

a) Prius est bonum cum facultate de eo libere et independenter ab alio disponendi, tanquam re sibi propriâ, et quod Superior jam non potest auferre.

b) Posterius seu improprie dictum quod tribuit quidem administrationem, possessionem, vel detentionem et usum, sed dependentem ab alio, ad cujus arbitrium restringi, revocari et omnino auferri potest [1].

Peculium prioris generis aperte cum paupertatis voto pugnat. Unde illud licitum nunquam fieri posse fatentur omnes.

Quoad posterius, iterum conveniunt omnes quod licitum esse nequit, nisi sub hâc duplici conditione: 1° Quod legitima detur causa illud habendi, scilicet ad usus honestos et convenientes; 2° Quod dictum peculium semper ad nutum Superioris sit revocabile.

1323. — 3. **Quid specialiter nobis statutum est?** — " Quum vi Regulæ suæ Fratres Minores nihil omnino sibi appropriare valeant, nec domum, nec locum, nec aliquam rem, [2]... quum vere altissimam profiteantur paupertatem, sequitur eosdem magis quam alios quosvis religiosos ad vitam perfecte communem obligatos esse. Quod quisque sano prædi-tus judicio facile intelliget. Alias ubinam reperiri posset illa altissimæ celsitudo paupertatis? [3] "

His verbis clare liquet quid de peculio apud Fratres Minores putandum sit. Forte in aliquibus Ordinibus religiosis, per consuetudinem, peculium licitum evadit, sed " quod ad nostrum Ordinem spectat, ait P. Piatus [4], nullo modo invocari potest consuetudo, quum illam veluti *corruptelam* Innocentius X [5] reprobavit. "

Insuper Constitutiones nostræ instant [6] simul ac Capitula Generalia ut omne quod sentit peculium removeatur:

(1) Cfr. P. Piat. o. c. P. III, c. II, q. 274. — (2) Reg. cap. 6. — (3) PIAT. o. c. P. III, cap. II, Punct. I, q 9, Primæ Editionis. — (4) Ibid. q, 6. — (5) Const. " *Ad propagandam* " § 3. — (6) Cap. VI, n. 112.

"Quidquid Frater quovis modo acquirit, vel potius recipit, ait Capitulum Generale LXV [1], statim Superiori fideliter tradat, ut cum aliis conventûs eleemosynis incorporetur, juxta axioma: Quidquid acquirit monachus, acquirit monasterio.

"Fratres nullum jus habent quoad eleemosynas Missarum, stipendia prædicationis, lectionum, scriptionum aut quorumcumque laborum corporalium aut spiritualium, vel etiam quoad munera sibi particulariter oblata...

"Superiores suis Fratribus omnia necessaria sive quoad victum et vestitum, sive quoad alia vitæ et statûs religiosi communiter et uniformiter provideant, servatâ paupertatis, sed multo magis caritatis, regulâ; imo res ita disponant ut unicuique juxta particulares indigentias convenientia subministrentur;... maximamque habeant curam infirmorum et invalidorum:"

Omnes igitur Fratres "ut veri Æterni Patris filii, quâlibet carnali sollicitudine sepositâ, ab hâc divinâ liberalitate in omnibus pendeant seque ejus divinæ bonitati concredant [2]."

§ IV. — *De aliquibus attendendis circa violationem voti paupertatis.*

1324. — Circa violationem voti paupertatis adhuc quatuor sunt attendenda: 1) peccata interna; 2) gravitas violationis; 3) pœnæ transgressoribus impositæ, et demum 4) aliæ peccatorum species violationem voti comitantes.

1325. — **1. De peccatis internis contra votum paupertatis.** Quando per *actus exteriores* et ex animo jus violatur quod religiosus per votum Deo consecravit, peccat *externe*. Quando vero voluntas adest atque desiderium committendi id quod est contra votum, peccat *interne*.

(1) N. 33 et seq.— (2) Const. nostræ n. 109.

Jam vero, *a)* omne desiderium tam efficax quam inefficax contra votum paupertatis est peccatum, nisi *b)* conditio desiderio inefficaci apposita aufert ejus malitiam; etsi tamen *c)* affectum ad res temporales a desiderio distinguas omnino necesse est.

a) OMNE DESIDERIUM TAM EFFICAX QUAM INEFFICAX CONTRA VOTUM PAUPERTATIS EST PECCATUM.

Desiderium votum violandi dicitur *efficax*, quando quis absolute proponit aliquod opus contra votum paupertatis exequi; *inefficax* vero, quando sub conditione tantum v. g. *si liceret*, *si posset*, id perficere intendit.

Ast, Frater, desiderium tam efficax, quam inefficax rei malæ, peccatum est, et quidem ejusdem gravitatis et speciei, quam habet objectum in quod tendit.

Est peccatum, nam, ut theologi docent, desiderium malitiam accipit ab objecto in quod tendit.

Gravitas hujus *peccati* pensanda igitur est ex objecto: unde si desiderium fit in re gravi, erit grave; in re levi, leve.

Peccatum desiderii est ejusdem speciei ac objectum, nam desiderium tendit in ipsam rem externam ut postea perficiendam, et proinde omnes malitias includit, quæ in ipso objecto insunt, dummodo tamen hæ malitiæ apprehendantur. Ideo desiderium furandi rem sacram, duplicem continet malitiam, furti nempe et sacrilegii.

b) DESIDERIUM INEFFICAX NON EST PECCATUM, SI CONDITIO APPOSITA AUFERT MALITIAM ACTÛS.

Aliæ conditiones malitiam desiderii conditionati auferre possunt; aliæ talem effectum producere nequeunt. Si res intrinsece est mala, ut blasphemia, nulla conditio apposita, ut per se patet, malitiam blasphemiæ auferre potest.

Si vero res vel actus sunt solummodo prohibiti per legem positivam, conditio apposita malitiam actûs auferre potest, et in hoc casu religiosus nullum committit peccatum. Voluntas enim tunc fertur in objectum quod nullam continet ma-

litiam, siquidem conditio apposita eam excludit; puta si dico: vellem librum emere, si votum paupertatis non emisissem. Immo inveniuntur desideria conditionata quæ sunt bona et meritoria, ut si dico: si religiosus non essem, vellem habere thesauros unde possem pauperibus subvenire.

c) AFFECTUS AD RES TEMPORALES A DESIDERIO DISTINGUENDUS EST.

Hic enim affectus est propensio ad res temporales, quæ *per se* non peccatur contra votum paupertatis. Hi affectus et propensiones enim lapsam afficiunt naturam, quæ semper hominem ad rem malam trahit. Religiosus autem voto paupertatis tantummodo se adstringit ad medium adhibendum ut hi periculosi affectus mortificentur, sed sese minime voto adstringit ad ipsum finem.

Dicimus per se: nam affectus voluntarius ad res temporales est contra votum si tantus evadit ut religiosum exponat periculo peccandi contra votum.

1326.— 2. De gravitate peccati proprietatis.

Quoad peccatum proprietatis et peccatum contra statum paupertatis, theologi communiter levitatem materiæ admittunt, sed minime consentiunt determinando quantitatem materiæ ad peccatum mortale requisitam.

"Vix in re morali, ait P. Vermeersch [1], quidquam reperias in quo magis hæreant animo suspensi scriptores quam in accurate definiendâ materiâ gravis sacrilegii adversus paupertatis votum."

Et clarissimus auctor exponit suam sententiam, quæ nobis omni ex parte placet et a pluribus approbatur [2].

a) Exponit quid votum paupertatis postulet.— Votum paupertatis, uti ex supradictis clare patet, postulat aliquam abjectionem proprietatis et juris in bona temporalia, atque usum rerum temporalium moderatum. Ast hæc paupertas

(1) T. II cap. 2, suppl. VII, art. 1, p. 99.—(2) Cfr. P. Victorius. *Compendium Juris Reg.* P. III, cap. II, q. 170.

varios habet gradus, ait [1], nam fieri potest: "ut quis vi voti versetur sive in conditione mendici, sive hominis valde exiguæ conditionis, sive, ut in Societate Jesu, honesti sacerdotis." Dein

b) Tanquam formalem rationem gravis reatûs dat in universum proprietatem notabilem.— Ast ait: "Statim apparet *notabilem* istam proprietatem esse aliam pro alio assumpto statu seu pro aliâ professione paupertatis."

c) Et demum concludit: "eam materiam esse gravem, quæ pro conditione in quâ ex suâ professione versatur religiosus, existimetur esse notabilis pretii."

CONCLUSIO.— In Ordine Seraphico igitur ea per se erit quantitas gravis quâ si privaveris mendicum seu hominem exiguæ fortunæ, hunc gravi afficies injuriâ. Unde vides, Frater, nobis Franciscanis illicitam usurpationem summæ satis tenuis jam gravis reatûs damnari posse [2]. Hæc sententia confirmatur etiam doctrinâ Cardinalis de Lugo [3]: "In religiosis, ait, non tam attendendum est ad detrimentum temporale quod patitur conventus, quam ad detrimentum spirituale quod Religio patitur ex relaxatione circa unum ex potissimis fundamentis vitæ religiosæ, quod est pauper-

(1) VERMEERSCH, l. c. art. 2, p. 102, seq. — (2) Cfr. Vermeersch, l. c. Cfr. Noster *Modus procedendi* (ed. 1901, p. 45 et sq) qui distinguit delicta gravia, graviora et gravissima. Quoad paupertatem enumerat inter delicta

GRAVIA: "Si quis rem sibi collatam celaverit, aut cibo, vestitu, habitatione, aut donis a se factis notabiliter votum paupertatis læserit." (n. 87, m.)

INTER GRAVIORA: "Si quis proprietarius in re notabili, quæ viginti libellarum (20 fr.) valorem excedat, repertus fuerit, vel si quis summam pecuniæ dicto valori non inferiorem pro se sive pro aliis, sine licentiâ sui superioris, procuraverit, sive expendi fecerit." (n. 88, k.)

INTER GRAVISSIMA: "Furtum rei notabilioris seu magnæ quantitatis, quæ quinquaginta libellarum (50 fr.) valorem excedat." (n. 89, b.)

(3) D. 3, n. 172, et 181.

tas, et ejus observantia." Ast in nullâ aliâ Religione strictior invenitur paupertas quam in Franciscanâ.

NOTANDUM hic est, Frater, 1) in ordinariis esculentis et poculentis ab ipso Fratre consumptis generatim non adesse peccatum mortale, quia tunc potius modus quam substantia principalem turpitudinem actûs constituit. Secus dicendum de furtis esculentorum, inter amicos sæculares et extraneos, præsertim non vere pauperes, distribuendorum. [1] Dein 2) graves auctores [2] judicare per se sacrilegia in re levi non coalescere, quia Prælati contra talem agendi modum nunquam graviter offenduntur. Excipe tamen, Frater, si quis ab initio, consulto modica accipit cum animo progrediendi ad materiam gravem, vel ex pluribus servatis concrescit gravis valor. [3]

1327.— 3. De pœnis contra proprietarios statutis.

Gravitas peccati, quod Religiosus proprietarius committit, ex pœnis illatis dignosci potest. Nam "gravis pœna infligitur propter quantitatem peccati, ait Angelicus Doctor [4], et majori peccato, ceteris paribus, pœna gravior debetur." Ast jam antiquitus hâc in re gravissimæ latæ sunt pœnæ. [5]

1) Proprietarii in carcerem sunt detrudendi et ibi pro qualitate delicti puniendi.

2) Si decedunt sine pœnitentiâ, privantur sepulturâ ecclesiasticâ et pecunia simul cum ipsis est sepelienda. [6]

S. Augustinus de vitio alicujus religiosi proprietarii agens [7] exclamat: "Januarii perditionem flere debemus, qui paupertatem quamdiu viveret, servare promisit: et tamen agrum nobis ignorantibus in sæculo possidebat. O pro-

(1) Cfr. Adnotator in Albertum a Bulsano, p. 329.— (2) Cfr. Vermeersch, I, n. 267; Victorius, P. 3, c. 2. q. 170, nota et auct. ibi cit.— (3) VERMEERSCH, l. c.— (4) 1. 2. q. 105, a. 2, ad 9.— (5) *Modus procedendi*, p. n. 103, k. 104. b; Const. n. 112. — (6) C. *Monachi* 2; C. *Super quædam*, 4; *De statu Monachorum*. Cfr. Constit. nostræ n. 112.— (7) Serm. 5 ad Fratres. P. L. t. 40. col. 1245. Hi sermones non sunt S. Augustini, sed olim inter Opera.

fessio mortifera! Sanctum credebamus, qui omnibus pejor erat. Male vixit, quia, quod suum non erat, secreto tenuit; etiam male moritur, quia in fine se non cognovit. Ligate igitur manus cadaveris ejus cum siclis, quos retinebat, dicentes: pecunia tua tecum sit in perditionem; non enim nobis licet eâ uti, quia pretium damnationis est." Dein

3) Biennio proprietarii privantur voce activa et passivâ [1], et in Ordine nostro insuper privantur per biennium omnibus officiis Ordinis. [2]

NOTANDUM tamen est, Frater, *a)* supradictas pœnas non incurri ante judicis sententiam; *b)* eas esse statutas contra *detentores* rerum, et *c)* dummodo detentio fuerit in materiâ *notabili*. [3]

4) Ex auctoritate Clementis VIII [4] sequentes duo casus a Superioribus regularibus reservari possunt et in Ordine nostro reservantur, nempe: *a)* proprietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale, et *b)* furtum in rebus monasterii, sive conventûs, in eâ quantitate, quæ sit peccatum mortale.

4. De vitiis quæ aliquando sacrilegium in violatione voti paupertatis comitantur.

Etsi fieri potest 1) *ut sit injuria sine voti violatione*, puta si religiosus ex animo infert damnum bonis alienis sine consideratione propriæ utilitatis, et 2) *ut sit sacrilegium sine injuriâ*, puta tradens alteri quod sibi permissum erat consumere: persæpe tamen 3) *vitium proprietatis comitantur alia vitia, potissimum tamen injustitia*. [5] Sic v. g. Religiosus furando, ultra sacrilegium ob violationem voti, committit peccatum contra virtutem justitiæ, etiam si res pertinet ad usum Ordinis. Immo cum religiosus rem aliquam accipiens,

(1) Concil. Trid. 25, 2. *De Regul.* — (2) Constit. cap. 6 n. 112, *Modus proced.* p. 56. Concil. Trid. l. c. — (3) Cfr. Victorius, l. c. q. 171. — (4) Decr. *Sanctissimus*, 26 Maii 1593. — (5) VERMEERSCH, I, n. 268.

eam acquirat non sibi sed Sedi Apostolicæ, eo ipso quod eâ absque licentiâ Superioris utitur, furtum committit.

Hic notandum tamen est quod si aliquid religioso datum fuerit eâ lege ut monasterio non tradatur, vitium committet proprietatis, non vero injustitiæ. [1]

4) *Cum per se damnosa injuria restitutione reparanda sit,* Religiosus qui damnum communitati intulerit, huic obligationi satisfaciat, necesse est. Hoc damnum resarciet convertendo in utilitatem conventûs quæ ipse licite potest ad alios usus disponere; aut non expendendo bona conventûs quæ alias licite expendere potest. Non tenetur tamen sese privare rebus ad usum moraliter necessariis. [2] Prælatus tamen hanc restitutionem condonare potest.

ART. II.— De obligationibus ex virtute paupertatis fluentibus.

1328.— In superiore articulo egimus, Frater, de obligationibus ex voto paupertatis fluentibus. Sed excellentia perfectioque paupertatis simpliciter non stat in majore penuriâ vel vilitate rerum temporalium, sed in majore verâque eorum abdicatione *exteriore simul et interiore,* seu in abstractione majoris sollicitudinis et affectionis circa ea. Nam *paupertas in effectu* seu bonorum temporalium abdicatio est *medium, paupertas vero in affectu,* seu interna inordinatorum affectuum ad bona terrena abnegatio, est *finis* ad quem medium tendit,

Etsi religiosus vi voti tantummodo tenetur ad medium et non ad finem, obligatur tamen [3] ad finem tendere. Quare Seraphicus Pater, inquit S. Bernardinus Senensis [4] "divinitus inspiratus in sexto capite suæ Regulæ de paupertate

(1) Cfr. Sanchez l. c. Lib. VII, c. 20, n. 8. Vermeersch, I, 253-2. — (2) S. ALPHONSUS, L. 5 (4) n. 31.— (3) Cfr. n. 1090 seq.— (4) Opera, t. 3, Serm. 2, cap. 1, p. 175.

loquens ait: Cui, dilectissimi Fratres, totaliter inhærentes, nihil aliud pro nomine Domini nostri Jesu Christi sub cœlo in perpetuum habere *velitis*. Nec inquit: *Nihil habeatis*, sed *nihil habere velitis* et ad nihil transitorium vitiose afficiamini." Huc etiam spectant verba S. Patris quæ alio in loco [1] leguntur: "Moneo et exhortor in Domino Jesu Christo ut caveant Fratres ab omni avaritiâ, curâ et sollicitudine hujus sæculi."

Agemus igitur de paupertate in affectu seu de virtute paupertatis et dicemus 1) de ejusdem notione, et 2) actibus: et demum 3) de peccatis eidem contrariis.

§ I. — *De notione virtutis paupertatis.*

1329. — 1. **Notio paupertatis.** — Auctores alii virtutem paupertatis tanquam fictitiam habent [2], alii eam ut veram virtutem considerant [3]. Et merito quidem, nam etsi divitiæ secundum se sunt bonæ, "nihil prohibet paupertatem melius esse, ait S. Thomas [4], si per eam ad perfectius bonum aliquis ordinetur." Ast uti antea ex Seraphico Doctore probavimus [5], divitiæ homini lapso semper sunt *illecebrosæ* et periculis plenæ, et nihil prohibet quin virtutem paupertatis nuncupemus "voluntatis habitum quo quis semper propter Christi sequelam sese privet non solum a temporalibus prout sunt objectum voti, sed ab omnibus temporalibus ad usum non necessariis, utut semper illecebrosæ." Quidquid est de nomine, nihil refert ad praxim utrum actus de quibus agendum est, sint virtutis paupertatis, an alterius virtutis.

Sedulo tamen attendas, te rogo, Frater, ad differentiam virtutem inter et votum paupertatis.

---

(1) Reg. cap. 10. — (2) Cfr. Vermeersch, I, n. 253. — (3) Cfr. De Smedt S. J. Bollandiste: *Notre vie surnaturelle*, t. 2, p. 297, Bruxelles, Dewit. 1911. — (4) *Summa contra Gent.* Lib. III. c. 135. — (5) Cfr. n. 1237.

1330. — 2. Differentia virtutem inter et votum paupertatis.

1° *Votum est quasi medium, virtus quasi finis.* Nam religiosus sese voluntarie ad votum observandum adstringit ut tutius, facilius, perfectius mortificet immoderatum circa temporalia affectum. Unde deploranda est cæcitas aliquorum religiosorum, qui postquam votum paupertatis emiserunt et statum paupertatis professi sunt, virtutem paupertatis negligentes, imperfectiores manent quam multi sæculares homines.

2° *Virtus latius se extendit quam votum.* — Etsi paupertatis votum indirecte religiosum impellit ad omnes virtutis paupertatis actus exercendos, attamen votum ipsum ultra id quod sub peccato obligat sese non extendit. Ast virtus paupertatis semper religiosum ad perfectiorem abdicationem rerum temporalium exstimulat, et per incrementum horum virtutis actuum eum reddit ferventem atque ex omni parte suâ vocatione dignum.

3° *Votum et virtus paupertatis se mutuo juvant:* Nam si votum est medium ad virtutem paupertatis adipiscendam, virtus suâ naturâ ordinatur ad votum observandum; Religiosus enim virtutem negligens exponitur periculo votum violandi.

4° *Violatio voti semper est violatio virtutis, violatio virtutis non semper violatio voti*, ut de supradictis clare constat et de mox dicendis adhuc clarius patebit.

§ II. — *De actibus virtutis paupertatis.*

1331. — Inter plurimos virtutis paupertatis actus præsertim numerantur sequentes [1].

1. *Amor paupertatis Seraphicæ*, nempe singulariter æstimare, amare et zelare paupertatem Minoriticam.

2. *Sancta indifferentia etiam quoad usum eorum quibus*

(1) Cfr. Neudecker, P. 2, cap. 25, n. 46.

licite utimur, i. e. non tantum omni proprietate cujuscumque boni temporalis carere, sed etiam ab omni inordinato affectu ad ipsum usum ejusdem, animum habere penitus immunem; consequenter omnino indifferentem esse, sive hæc, aut illa res, vel usus illius nobis conceditur, vel negatur.

3. *Nulla sollicitudo circa temporalia.* — "Nusquam enim et nunquam legitur, ait Seraphicus Doctor [1], quod aliquis volens in paupertate Deo servire pro defectu cibi fame perierit." Licet in temporalibus aliquem defectum pati subinde oporteat, vere necessaria nobis Franciscanis nunquam sunt defectura. Unde actus virtutis paupertatis est nullam inordinatam curam aut sollicitudinem etiam de necessariis vitæ et statûs habere.

4. *Sustentatio incommoditatum ob defectum rerum temporalium.* — Alius actus virtutis paupertatis est "patienter et libenter sustinere incommoda, utpote comites, et proprietates paupertatis, quæ sunt fames, sitis, frigus, labor, et fatigatio, incommoditas cellæ, strati, carentia vel minor sufficientia eorum, quæ sensualitas aut commoditas appetit [2]." Nam licet hi actus sint eliciti aliarum virtutum, a virtute tamen paupertatis imperantur.

5. *Humilitas et patientia in statu paupertatis.* — Ad virtutem paupertatis etiam referuntur omnes actus, quibus, amore Dei humiliationes et difficultates ex statu paupertatis provenientes patienter et libenter supportantur, dum, exempli gratiâ, quis dispositione Superiorum, etiam ostiatim necessaria mendicare debet, uti Seraphicus Pater nos optime monet dicens [3]: "Vadant pro eleemosynâ confidenter, nec oportet eos verecundari, quia Dominus pro nobis se fecit pauperem in hoc mundo."

6. *Non tantum vilia, sed viliora sibi eligere.* — Inter praxes nobiliores et Deo valde gratas, actus perfectæ virtutis pau-

(1) Quæst. disput. *De perfect. evangelic.* q. 2, a. 1, concl. n. 9. Op. t. V, p. 133.— (2) NEUDECKER; l. c.— (3) Reg. cap. 6.

pertatis est in omnibus quibus utimur viliora minusque pulchra et commoda sponte eligere. Audi Guigonem Carthusiensem [1]: "Credite, Fratres, et utinam experiri vobis non contingat: quia pulchritudines istæ, et forenses honestates cito virile propositum enervant, et masculinum animum effeminant. Nam etsi ipso sæpe usu sopiuntur earum delectationes, etsi sint aliqui, qui utantur hujusmodi quasi non utentes, tamen contemptu melius quam usu extirpantur et vincuntur hujusmodi affectiones. Conferunt etiam non modicum interioribus nostris exteriora nostra, ad similitudinem mentis aptata et composita, et bono proposito suo modo respondentia. Pauperior enim cultus in aliis frœnat concupiscentiam, in aliis circa amorem paupertatis afficit conscientiam. Sed et intentum interioribus suis animum magis decent inculta omnia et neglecta exteriora quibus animus ipse sæpius alibi conversari dignoscitur; seque alibi magis occupatam intentio sancta denuntiat; et efficaciter bonæ conscientiæ conciliat interiora, cui omnia exteriora viluisse renuntiat."

Hæc verba ab omnibus religiosis, sed a nobis Franciscanis præ ceteris sunt meditanda. Attamen, uti jam diximus, sordes semper sunt vitandæ, nam de ipso S. Bernardo [2] dicitur: "In vestibus ei paupertas semper placuit, sordes nunquam."

7. *Parcimonia:* "id est in usu concessarum et necessariarum rerum, non plus consumere quam prudens ratio postulat, ut lumen non adhibendo in cellâ quando non indigemus, et maxime invigilare ut res in usum concessæ nostrâ negligentiâ non destruantur, pereant vel maculentur."

CONCLUSIO. — Cum ad virtutem paupertatis modo perfecto colendam omnino requiratur omne superfluum demere,

1) Inter opera S. Bernardi, est Guigonis Carthusiensis Epist. ad Fratres de Monte Dei. *De vita solitaria.* Lib. I, cap. XII, P. L. t. 184, col. 332.— (2) Vita prima S. Bernardi, Liber III, auct. Gaufrido, cap. 2. P. L. t, 185, col. 306.

rogo te, carissime Frater, ut subinde, præsertim tamen tempore recollectionis spiritualis, cum Seraphico Patre ut directore et doctore consideres et lustres in cellâ, ne ibi saltem aliqualiter superfluum aut quid nimis pretiosum reperiatur, utque cum licentiâ Superioris viriliter amoveas quidquid Seraphici Patris oculis superfluum videtur.

§ III. — *De vitio virtuti paupertatis contrario.*

1332. — Potissimum virtuti paupertatis opponuntur *desideria inordinata ad res temporales.* Non agitur hic, Frater, de desideriis seu actibus internis quibus Religiosus peccat contra votum paupertatis [1], sed de affectu ad res temporales, ut quando Religiosum pœnitet rerum Deo per professionem oblatarum ; aut quando voluntarie nutrit affectiones ad bona temporalia suo statu prohibita. Et notandum est parvitatem materiæ hic nihil ad rem referre, nam affectio hæc eo magis deploranda est quod ejus objectum est nullius aut saltem minimi valoris.

His de obligationibus paupertatis dictis, manet adhuc ut de beatitudine agamus quâ fruitur omnis religiosus, potissimum Franciscanus eam fideliter observans.

CAPUT VI.

DE BEATITUDINE RELIGIOSI POTISSIMUM FRANCISCANI PAUPERTATEM FIDELITER OBSERVANTIS.

1333. — Pauperes spiritu, uti vidimus [2], ab ipso Domino beatificantur. Pauperes autem spiritu illi sunt qui voluntate a Spiritu Sancto afflatâ, se submittunt paupertati, ut religiosi diligenter votum et virtutem paupertatis observantes.

(1) Cfr. n. 1325.—(2) Cfr. de Beatitudinibus, n. 624 seq.

Religiosus igitur vere pauper spiritu, etsi beatitudine æternâ non fruitur, spe tamen hujus beatitudinis jam hic in terrâ salvus factus est: per paupertatem enim incipit proficere in actibus virtutum et donorum, et hinc sperari potest illum ad perfectionem viæ et patriæ [1] perventurum, et jam interim jucunditate fruitur internâ 1) propter extrinsecam securitatem, 2) propter exspectatam mercedem, et 3) propter superinfusam consolationem [2].

ART. I. — Per paupertatem religiosus jucunditate fruitur ratione extrinsecæ securitatis.

1334. — Etenim 1) ubi dives timet, pauper securitate gaudet, 2) immo mundi dominus est, et 3) nihil ad vitam corporalem sustentandam nesessarium ei deficiet.

1335. — 1. **Pauper securitate gaudet.** — Audi, Frater, S. Chrysostomum [3]: dives "necesse est ut innumeris opus habeat et illiberaliter serviat, tremat, suspectos habeat, invidorum oculos, sycophantarum ora metuat, aliorumque avarorum cupiditates. At paupertas non talis, sed plane his contraria. Locus est tutus et securus, portus tranquillus, palæstra et gymnasium philosophiæ, angelicæ vitæ imitatio."

Unde S. Bernardinus Senensis [4] ait: "Expeditus viator cito peragit iter suum; natator nudus liberius transit flumen. Hæc paupertas repellit æmulorum turbam; nec in manibus suspectorum constitutus est pauper: omne ostium eum capit, et ubilibet potest reclinare cervicem, litigare non novit, latronem non horrescit, in viâ per publicam et

(1) Cfr. S. Thom, 1. 2. q. 69, a. 4.—(2) Cfr. S. Bonavent. *Apol. Paup.* cap. 9. n. 18, 19, 20. — (3) Homil. ultim. super Matth. n. 3. P. G. t. 58, col. 791. — (4) *De multiplici paupertate*, Serm. 2, a. 1, c. 1. Tom. III p. 175.

privatam gradi potest, civitates habitare et penetrare deserta, terrenum judicem adire non habet, advocato in suâ causâ non indiget, libellos recipere aut porrigere vel de calumniâ juramenta præstare non novit: nam si aufertur tunica, dabit et pallium, ut rumor forinsecus non insurgat, et ne propter rem temporalem videatur odisse fratrem."

1336. — 2. Totius mundi dominus est. — Religiosus per paupertatem, propter sequelam Christi professam, omnia terrena contemnit. Ast, ait S. Bernardinus [1], "talis paupertes facit hominem dominum omnium contemptorum. Proinde [2] contemptor omnium Paulus in personâ omnium Apostolorum, et apostolicorum virorum inquit: *Omnia enim vestra sunt*... Qui igitur totum despicit mundum, totius mundi dominus est, teste Domino, qui [3] ait: *Omnis locus, quem calcaverit pes vester, vester erit.* Pes siquidem in Scripturis affectum significat. Calcare enim *despicere est.* Ille profecto totum mundum pedibus calcat, qui cuncta mundana contemnit. Unde ex ore Domini, omnium illorum dominus factus est. Proinde [4] Apostolus ait: *Tanquam nihil habentes, et omnia possidentes.*" Nam

1337. — 3. Pauperi voluntario nihil ad vitam necessarium deficiet. — Seraphicus Bonaventura in opusculo "De perfectione vitæ ad Sorores" [5] hæc profert verba ad sanctimoniales S. Claræ: "Scio, quod ita sit, quod quanto ferventiores professæ paupertatis fueritis imitatrices, tanto magis bonis omnibus tam temporalibus quam spiritualibus abundabitis.

Si autem ad contrarium vos converteritis, si paupertatem, quam professæ estis, contempseritis; omnium bonorum tam temporalium quam spiritualium egentes eritis. Illa quondam pauper Genitrix pauperis Jesu Maria dicit: [6] *Esurientes implevit bonis et divites dimisit inanes.*

(1) L. c. — (2) I Cor. III, 22. — (3) Deut. XI, 24. — (4) II Cor. VI, 10. — (5) Cap. 3. n. 7. Op. t. VIII. p. 114. — (6) Luc. I, 53.

Hoc etiam testatur Propheta ille sanctissimus, dicens [1]: *Divites eguerunt et esurierunt, inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.* Numquid non legistis, numquid non audistis Dominum Jesum loquentem Apostolis suis in Evangelio Matthæi [2]: *Nolite solliciti esse dicentes: Quid manducabimus aut quid bibemus? Scit enim Pater vester, quid vobis necesse sit.* Audi iterum quid dicit eis in Evangelio Lucæ [3]: *Quando misi vos sine sacculo et perâ et calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: nihil.*

Si igitur inter Judæos duros et incredulos pascebat Dominus discipulos suos sine omni sollicitudine; quid mirum, si pascat Fratres Minores ejusdem perfectionis professores, quid mirum, si pascat pauperes Sorores, paupertatis evangelicæ imitatrices, inter populos christianos et fideles? *Omnem itaque sollicitudinem vestram projicite in eum, quoniam ipsi cura est de vobis* [4]."

ART. II. — Per paupertatem religiosus jucunditate fruitur ratione exspectatæ mercedis.

1338. — Dominus paupertati spiritûs promittit 1) præmium et quidem 2) inæstimabile.

1. **Præmium.** — Hoc per parabolam perpulchre exponit S. Bernardinus [1]: "Rex quidam duas filias habuit, unam pulcherrimam, aliam turpissimam. Pulchra appetebatur ab omnibus et honorabatur, turpem vero nullus nedum amare, sed nec videre volebat. Hæc autem amarissime flebat in conspectu regis. Cui rex: Noli flere, inquit, dilectissima filia mea: nam, qui in sponsam duxerit sororem tuam, nihil secum accipiet, nisi pulchritudinem suam; qui vero spon-

(1) Ps. XXXIII, 11.— (2) VI, 31 sq.— (3) XXII. 35 et seq. — (4) I Petr. V, 7.— (5) L. c. p. 174.

sam acceperit te, dabo illi regnum meum. Mystice autem filia pulchra, est gloriosa sæculi vita, divitiis, deliciis et magnificentiis plena. Filia vero turpis, paupertas voluntaria est, plena penuriis, plena cruciatibus, plena despectionibus. Tamen voluntariis pauperibus solatium est penuriam pati, cruciatibus fatigari, et ab insensato mundo despici et contemni. Hanc turpem filiam, qui acceperit in uxorem, promittit ei Dominus regnum suum dicens : Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum."

2. **Præmium inæstimabile.** — "*O dives in omnes* [1], exclamat Seraphicus Doctor [2], o bone Domine Jesu, quis potest digne verbo exprimere, corde percipere, manu scribere illam cœlestem gloriam, quam tuis pauperibus te daturum promisisti? Ipsi enim paupertate voluntaria merentur "gloriæ Conditoris assistere"; [3] ipsi merentur *intrare in potentias Domini* [4], in illa æterna tabernacula, in illas lucidissimas mansiones. Ipsi merentur fieri cives illius civitatis, cujus artifex et conditor est Deus. Tu enim ore tuo benedicto promisisti eis, dicens [5]: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Non aliud est, Domine Jesu Christe, regnum cœlorum quam tu ipse, qui es *Rex regum et Dominus dominantium* [6]. Te ipsum dabis eis in præmium, in mercedem et in gaudium. Ipsi te fruentur, de te gaudebunt, de te satiabuntur. *Edent* enim *pauperes et saturabuntur et laudabunt Dominum qui requirunt eum, vivent corda eorum in sæculum sæculi* [7]."

Pauperi igitur non deest mentalis jucunditas, ait Seraphicus Bonaventura [8], nam rationem mercedis concomitatur lætitia mentis, ut ipse Psalmista testatur [9]: *Videant pauperes et lætentur, quærite Deum, et vivet anima vestra.*

(1) Rom. x, 12. — (2) *De perf. vit. ad Sor.* cap. III, n. 10. — (3) Secundum S. Gregor. Lib. II in Evang. homil. 37 n. 1. P. L. t. 76, col. 1275. — (4) Ps. LXX, 16. — (5) Matth. v, 3. — (6) I Tim. vi, 15. — (7) Ps. XXI, 27. — (8) *Apol. paup.* cap. 9, n. 19. — (9) Ps. LXVIII, 3.

ART. III. — Per paupertatem religiosus jucunditate fruitur ratione superinfusæ consolationis.

1339. — Dominus paupertati spiritûs centuplum jam hic in terrâ promittit. Ast quid est hoc centuplum? "Hoc centuplum adoptio filiorum est, libertas et primitiæ spiritûs, deliciæ caritatis, gloria conscientiæ, regnum Dei, quod intra nos est [1]." Hæc verba sedulo sunt attendenda. *Consolationes* utique spirituales, *visitationes* nempe gratiæ, *primitiæ spiritûs* seu gaudium prægustatum vitæ æternæ centuplum est paupertatis evangelicæ.

1340. — 1. **Consolationes spirituales.** — Homo, infelix Adæ filius potissimum consolari habet de culpis perpetratis. Jam vero paupertas est "caminus quidam purgans et eliminans sordes vitiorum, juxta illud Isaiæ [2]: *Elegi te in camino paupertatis.* Quod maxime de illâ paupertate habet intelligi, quæ non tantum voluntatem *interius* per rerum contemptum afficit, verum etiam corpus per penuriam *exterius* affligit [3]."

Condonationis peccatorum per paupertatem memor, pro bonis amissis religiosus centuplum accipit sese de perpetratis consolans.

1341. — 2. **Visitationes gratiæ.** — Homini bonæ voluntatis Deus non denegat suas visitationes per gratiam. Ast impedimentum gratiæ potissimum est rerum temporalium cupiditas, ut S. Hieronymus ex testimonio ipsius Cratis affert [4], ait enim: "Crates ille Thebanus, homo quondam ditissimus, cum ad philosophandum Athenas pergeret, magnum auri pondus abjecit, nec putavit se et simul posse virtutes et

(1) *Gaufridus.* Declam. ex S. Bernardi Sermonibus, LVIII. P. L. t. 184. col. 474.— (2) XLVIII, 10.— (3) S. BONAV. *Apol. pauper.* cap. 9. n. 14.— (4) Hieron. ad. Paulin. Epist. 58, (alias 13) n. 2, P. L. t. 22, col. 580.

divitias possidere... Denique et tu, auditâ sententiâ Salvatoris: *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quæ habes, et da pauperibus: et veni, sequere me* [1], verba vertis in opera et nudam crucem nudus sequens, expeditior et levior scandis scalam Jacob [2], puris manibus et candido pectore, pauperem te et spiritu et operibus gloriaris."

Nam Deus pauperi voluntario centuplum multiplicando visitationes gratiæ retribuit, unde religiosus quam maxime jucundatur et gaudet.

1342.— 3. Primitiæ spiritûs.— Pauper spiritûs jam prægustat in terrâ gaudium cœlestis patriæ; qui enim propter sequelam Christi penitus est exoneratus ab onere temporalium, *thesaurum* suum totum *habet in cœlo* [3], ejus *regnum non est de hoc mundo, non habet hic manentem civitatem,* sed *futuram* inquirit et potissimum idoneus redditur ad intuitionem sublimium, siquidem totum *cogitatum* suum jactat *in Dominum* [4]. Unde etiam superabundat gaudio in Domino. Perfruitionem pauperum propter infusam consolationem admirans S. Chrysostomus [5], dicit: "Descendamus in fornacem paupertatis: videamus philosophantes illos, qui in ipsâ ambulant, et carbones calcant: videamus rem novam atque stupendam, hominem in fornace psallentem, hominem in igne gratias agentem, extremâ inopiâ colligatum, et multas Christo laudes referentem. Etenim pueris illis pares sunt ii qui paupertatem cum gratiarum actione ferunt. Nam igne terribilior est mendicitas, magisque incendere solet. Sed flamma pueros illos non incendit, verum quia gratias Domino reddiderunt, vincula ipsorum subito soluta sunt. Ita et nunc, si in paupertatem lapsus gratias agas, vincula solvuntur et flamma extinguitur; si non extinguatur, id quod mirabilius est, pro flammâ fons efficitur; quod tunc

(1) MATTH. XIX, 21.— (2) GEN. XXVIII, 12.— (3) MATTH. XIX, 21.— (4) I PETR. V, 7 Cfr. S. Bonaventura *Apol Paup.* cap. 9. n. 19.— (5) Homil. 4 super Matth. n. 12, P. G. t. 57, col. 53 et seq.

etiam contigit: nam in mediâ fornace rore puro fruebantur... Hoc etiam in philosophantibus videre est: etenim in paupertate timoris magis expertes sunt, quam divites... Nam vere ros est copiosus, non detineri concupiscentiâ divitiarum, et cum pauperibus versari. Hi omnium sunt opulentissimi, qui cupiditatem divitiarum conculcaverunt. Quandoquidem illi qui tunc regem contempserunt, ipso rege clariores sunt effecti. Et tu igitur si res hujus mundi despicias, toto mundo pretiosior eris, ut et sancti illi, *quibus dignus non erat mundus* [1]."

1343. — CONCLUSIO.— ***Beatitudinem pauperum non percipiunt mundani neque religiosi tepidi.***

S. Chrysostomus de paupertate agens mundanis dicit [2]: "Si quis tibi hinc imperium, civiles magistratus, divitias, deliciasque, inde vero paupertatem proponeret, optionemque daret, hanc subito raperes, si ejus notam haberes excellentiam." Nam etsi tibi turpissima videtur: "Mihi paupertas similis esse videtur puellæ ornatæ, pulchræ et formosæ... Cum hâc educatus Elias, raptu illo beato dignatus est [3]; cum hâc clarus fuit Elisæus; cum hâc Joannes et Apostoli omnes." Et addere possumus, et cum hâc desponsatus fuit Seraphicus Pater, de quo Celano hoc admirabile reddit testimonium [4]: "In valle lacrimarum positus Pater iste beatus communes filiorum hominum opes inopes dedignatur, celsioris siquidem ambitiosus fastigii de omni corde suo inhiat paupertati. Hanc Filio Dei familiarem attendens, jam jamque toto orbe repulsam studet caritate perpetuâ desponsare. Amator factus formæ illius, ut uxori fortius inhæreret, ac duo essent in uno spiritu, non solum patrem matremque relinquit, verum etiam universa submovit. Proinde castis eam stringit amplexibus, nec ad horam patitur non esse maritus."

(1) HEBR. XI, 38.— (2) Homil. ultim, sive homil. 90, (alias 91) n. 3 et 4. P. G. t. 58, col. 791.— (3) IV REG. II, v. 11.— (4) CELANO, Leg. 2, c. 25. p. 213.

a) MUNDANI HANC DOCTRINAM NON PERCIPIUNT.— Attamen "hæc, inquit Seraphicus Doctor [1], non revelantur mundi sapientibus; juxta illud Domini in Matthæo [2], *abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis*... Hæc rerum experientia docet, et qui divitias, delicias et honores sæculi complectuntur, nec experti sunt nec experiri volunt; necesse habent qui ejusmodi sunt super hâc materiâ indicere sibi silentium, ne tanquam cæci de coloribus syllogizare videantur."

b) NEQUE RELIGIOSI TEPIDI.— Et idem dicendum de infelicibus religiosis, de quibus loquitur Cassianus [3], qui nempe: "post illum primæ renuntiationis ardorem, quo vel res familiares, vel opes plurimas ac militiam sæculi relinquentes, semetipsos ad monasteria contulerunt, tanto cernimus studio in his quæ penitus abscindi non possunt, et quæ nequeunt in hoc ordine non haberi, quamvis parva viliaque sint, esse devinctos, ut horum cura pristinarum omnium facultatum superet passionem. Quibus profecto non magni proderit majores opes ac substantias contempsisse, quia affectus earum, ob quos illæ contemnendæ sunt, in res parvas atque exiguas transtulerunt."

Tu igitur, Frater, ama paupertatem, et ut legitimus Francisci filius semper gaudio frueris spirituali. Hoc gaudium, hæc lætitia nota est specialis Franciscanorum paupertatem amantium, et cave ne per amorem temporalium etiam rerum minimarum Seraphicum Patrem offendas. Nam, teste Celano [4], paupertatem "filiis suis dicebat perfectionis viam, hanc æternarum divitiarum pignus et arrham. Nemo tam auri quam ipse cupidus paupertatis, nec thesauri custodiendi sollicitior ullus quam ille hujus evangelicæ margaritæ. In hoc præcipue suus offendebatur aspectus, si quidquam domi forisque videret in fratribus paupertati contrarium."

(1) *Apolog. pauper.* cap. 9. n. 26, 27.— (2) XI, 25.— (3) CASSIANUS. Coll. 4 cap. 21, P. L. t. 49, col. 609.— (4) L. c.

SECTIO II

DE VOTO CASTITATIS.

1344. — Sicut *ex visu cognoscitur vir, et ab occursu faciei cognoscitur sensatus* [1], ita ex castitate maxime dignoscitur pulchritudo Ecclesiæ Christi.

Virginitas enim, continentia ac perpetuus celibatus vix apud antiquos inveniebatur: paucæ virgines vestales in magno honore erant apud Romanos. Sed magis mirandum est, quod inter justos Veteris Testamenti pauci ac rari coluerunt continentiam.

"Castitas est virtus origine cœlestis, ait P. David ab Augusta [2]; hanc sancti Angeli ab ipso Domino, omnium virtutum fontali principio, primitus didicerunt et indeclinabiliter servaverunt. Hanc summus et *unus Magister* noster [3], qui in cœlis angelorum magister est, Christus Dominus noster, nobis de cœlesti scholâ ad terras publice docendo attulit et matrem suam, gloriosam virginem, perfectam et primam post se hujus disciplinæ magistram in cathedrâ virginalis munditiæ ceteris mirandam et imitandam præfecit."

Postquam Christus, virginitatis fons, virginum flos et ornamentum, cœlestem castitatis instituit vitam, innumerus hominum chorus ex amore Christi hanc vivendi normam amplexi sunt et statum perfectionis profitentes, voto sese adstrinxerunt ad publice hanc Ecclesiæ pulchritudinem manifestandam.

"Statim ut Filius Dei ingressus est super terram, ait S. Hieronymus, [4] novam sibi familiam instituit, ut qui ab Angelis adorabatur in cœlo, haberet angelos et in terris... Tunc primum auditum est [5]: *Qui vult venire post me, abne-*

(1) ECCLI. XIX, 26.—(2) L. 3 de 7 proc. p. 287.—(3) MATTH. XXIII, 8. —(4) Epist. ad Eustochium. P. L. t. 22, col. 408.—(5) MATTH. XVI, 24; MARC. VIII, 34.

get semetipsum; et tollat crucem suam, et sequatur me. Nemo enim miles cum uxore pergit ad prælium."

Ut tibi igitur clare innotescat ad quid, vi castitatis voti tenearis, dicemus 1) de naturâ castitatis, 2) de ejus excellentiâ, 3) de voto castitatis et 4) de luxuriâ seu peccato eidem opposito; demum 5) de asperitate belli contra luxuriam et 6) de mediis eam superandi.

CAPUT I.

DE NATURÂ CASTITATIS.

1345. — Duplex potissimum homini inest propensio ab ipso naturæ Auctore indita: altera in conservationem individui, altera vero in conservationem et propagationem speciei. Medium conservandi individuum est nutritio, medium conservandi et propagandi speciem est commixtio sexuum in legitimo matrimonio. Ad facilius obtinendum finem conservationis individui, nutritioni Deus addidit delectationem gustûs; et ad obtinendam propagationem speciei, commixtioni sexuum addidit delectationem carnis, quam auctores soliti sunt vocare veneream.

Jam vero ordo naturæ a Deo statutus postulat ut usus delectationis venereæ solum in legitimo matrimonio et juxta matrimonii leges fiat. Unde jam inspicere potes, Frater, 1) quid et 2) quotuplex sit castitas.

1346. — 1. **Quid est castitas.** — Castitas, quæ ad temperantiam refertur, virtus est moralis quæ excludit vel moderatur appetitum delectationis venereæ.

1347. — OBJECTUM MATERIALE: *a) remotum* hujus virtutis sunt: actus concupiscentiæ completus et actus prævii ut aspectus, oscula, tactus; *b) proximum:* sunt interni concupiscentiæ motus: hos enim castitas comprimit vel secundum rationis normam componit.

OBJECTUM FORMALE castitatis est naturalis honestas, quæ in voluptatibus carnis secundum normam rationis moderandis deprehenditur.

1348. — 2. **Quotuplex est.** — Duplex potissimum distinguitur castitas : imperfecta et perfecta.

IMPERFECTA. — Illa est quæ vel solum ab illicitis delectationibus carnis abstinere proponit, ut castitas *conjugalis ;* vel ab omnibus etiam licitis se abstinet ad tempus, ut castitas *juvenalis*, quæ abstinet a delectatione venereâ usque ad tempus nuptiarum ; et castitas *vidualis*, quæ post licitum usum delectationis venereæ, ab eâ in posterum abstinet toto tempore vitæ vel usque ad alias nuptias.

PERFECTA illa dicitur quæ se continet ab omnibus delectationibus carnis etiam licitis in matrimonio, et vocatur *castitas virginalis*. Porro castitas virginalis subdividitur in propriissime et minus proprie talem.

VIRGINITAS PROPRIE TALIS, *materialiter* sumpta, nihil aliud est quam carnis integritas, seu immunitas a quâvis delectatione venereâ per actum consummatæ luxuriæ habitâ ; et *formaliter* considerata est propositum seu voluntas carnis integritatem servandi. Ast in hâc solâ firmâ voluntate consistit stricte loquendo virtus virginitatis, nam virginitas materialiter sumpta bonum est naturæ, a nativitate omnibus inditum, Unde *virginitas stricte dicta* definiri potest : " Firmum voluntatis propositum ab omnibus delectationibus venereis tum illicitis tum licitis (in matrimonio) perpetuo abstinendi in subjecto nunquam corrupto. " [1]

Hæc virginitas virtus est specialis quæ a castitate differt, a S. S. Ecclesiæ Patribus mirifice celebratur, et *speciali præmio*, aureolâ scilicet virginum decoratur in cœlis. [2]

(1) NOLDIN. *De sexto* n. 3.— (2) Cfr. Piatus, Pars III, cap. II, art. 2, punct. 2. Appendix de Virginitate.

CASTITAS VIRGINALIS SENSU LATO illa est quâ quis ab omnibus delectationibus venereis etiam in matrimonio licitis perpetuo abstinere firmiter statuit ac proponit, postquam prius contra castitatem jam peccavit et corporis integritatem corrupit. In hoc enim casu, etsi quis non amplius est virgo, nec veram habet virginitatem, tamen ratione motivi formalis, castitatem virginalem colere censetur.

CAPUT II.

DE EXCELLENTIÂ CASTITATIS.

1349.— Castitas una ex præstantissimis et Deo gratissimis virtutibus merito nominatur. Nam 1) castitas conjugalis ad honestum et utilem, 2) castitas perfecta ad utiliorem et præstantiorem, et 3) virginitas proprie dicta ad sublimem ordinatur finem.

§ I. — *De fine castitatis conjugalis.*

1350.— Castitas conjugalis ordinatur 1) ad finem utilem et 2) honestum, etsi tamen 3) infimum perfectionis teneat gradum.

1. AD FINEM UTILEM.— Castitas conjugalis "a principio mundi usque ad finem præsentis sæculi, quousque electorum numerus compleatur... approbabilis est, ait Seraphicus Doctor [1], et consona legi Dei." Etenim fecunditas filiorum quos procreat ad multiplicandam Ecclesiam militantem, triumphantemque implendam in laudem conjugum cedit, de quibus dicitur [2]: *Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domûs tuæ. Filii tui, sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ.*

(1) Quæst. Disput. q. 3. Art. I. Opera t. V, p. 167 et seq.— (2) Ps. CXXVII, 3.

2. AD FINEM HONESTUM.— Quapropter Apostolus [1] castitatem conjugalem vocat *honorabile connubium* et torum immaculatum; et ad eam amplexandam exhortatur omnes qui sese continere non valent, dicens [2]: *Si se non continent, nubant; melius est enim nubere quam uri.*

3. INFIMUM PERFECTIONIS GRADUM TENET.— Attamen castitas conjugalis infimum perfectionis tenet gradum, sicut insinuat S. Paulus [3]: *Si nupserit virgo, non peccavit. Tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi* et distrahetur frequenter, ne orationi divinæ totaliter sit intenta [4]. "Quia ergo, concludit S. Bonaventura [5], matrimonium bonum est, nullus ab eo prohibetur, nullus repellitur; quia vero annexum habet aliquid, quod et minuit honestatem et utilitatem et spiritualem jucunditatem: hinc est, quod nullus ad ipsum arctatur invitus, quia potius ab ipso abstinere sive continere suadetur, tam a Domino quam ab ipso Apostolo [6]. Unde S. Augustinus concludit [7]: "Filiorum procreationi operam dare, honesto ordine conjugali, non est in homine improbandus affectus. ipsum tamen laudabilius transcendit et vincit cœlestia cogitans animus christianus. Sed quoniam, sicut ait Dominus [8]: *Non omnes capiunt verbum hoc*, quæ potest capere capiat, et quæ se non continet, nubat: quæ non cœpit, deliberet; et quæ aggressa est, perseveret: nulla adversario detur occasio, nulla Christo subtrahatur oblatio."

§ II.— *De fine castitatis perfectæ.*

1351.— Etsi castitas conjugalis honesta et utilis est, adjunctum tamen habet damnum, quia sic distrahitur homo ne Deo sit frequenter attentus et orationi divinæ totaliter intentus. Quapropter castitas perfecta, ut ait Seraphicus

(1) HEBR. XIII, 4.— (2) I COR. VII, 9.— (3) I COR. VII, 28.— (4) Cfr. S. Bonaventura, l. c. art. 2. concl. p. 172.— (5) L. c.— (6) Cfr. *Sunt eunuchi*, MATTH. XIX, 12 et I COR. VII, 39, 40.—(7) In libro *de Viduitate*, cap. 8 et 9, P. L. t. 40, col. 437.— (8) MATTH. XIX, 11.

Doctor, [1] "est divini consilii tam in mulieribus quam in viris; unde et laudabile est ipsam *amare*, et laudabilius est eam *servare*, et laudabilissimum est eam *vovere* et perpetuo custodire."

Etenim homo castitatem perpetuam vovens matrimonium refugit non ut vitæ vacet faciliori, sed ut expeditus sit ad viam perfectionis perfecte percurrendam 1) Deo attendendo et 2) sibimetipsi et 3) proximo seu societati bona spiritualia procurando.

1. **Attentio ad Deum**, merito ut finis castitatis perpetuæ habetur, dicente Apostolo [2]: *Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori; et divisus est. Mulier innupta, et virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu.* Dein, teste eodem Paulo [3], propter hoc etiam eligitur castitas: *Quod facultatem præbet sine impedimento Dominum obsecrandi.* Cura enim ac sollicitudo uxoris, filiorum ac familiæ multum orationi impedimenti afferunt.

Hanc castitatis fidem perpendens S. Hieronymus [4] egregie scribit: "Ut nihil aliud esset, ut nulla merces virginum amplior sequeretur, sufficeret ei hæc sola prælatio, cogitare quæ Domini sunt, ut sit sancta et corpore et spiritu." Nam quid est cogitare quæ Domini sunt, nisi soli Deo vacare ut omnis intentio, totus amor et cuncta cogitatio in solum Deum vel in aliquid propter ipsum solum tendat.

2. **Bona spiritualia quæ á castitatem profitente intenduntur.** — Homo castitate præcingit lumbos suos et lucernas ardentes in manibus tenet [5] ut animam ab omni immunditiâ purget, et eam divitiis ditet spiritualibus. Hoc perpulchre docet os aureum: "Humanum genus, inquit [6], natura

(1) L. c. p. 172.— (2) I Cor. VII, 32. 34.— (3) I Cor. VII, 35.— (4) L. I *Advers. Jovin.* n. 13 P. L. t. 23, col. 241.— (5) Cfr. Luc. XII, 35.— (6) S. Chrysostomus, Lib. *de Virginitate* XI. P. G. t. 48. col. 540.

beatis (angelis) illis concedens, vires suas urget, cum iisque pro virili æquari summâ ope nititur. Quo pacto? Nec ducunt uxores angeli, nec ducuntur. At nec virgo. Assistunt perpetuo ac ministrant Deo. Itidem et virgo. Quare etiam Paulus [1] eas ab omni sollicitudine arcet, ut assiduæ sint et indivulsæ... Videsne virginitatis decus? eorum qui in terris degunt cum cœlitibus vitæ similitudinem molitur, corpore vestitos vinci ab incorporeis virtutibus non permittit, mortales angelorum æmulos reddit."

Sciendum enim est virginitatem, etsi pretiosa est, et omni laude digna, non sufficere ad salutem nisi aliis virtutibus et bonis operibus adornatur. Quod egregie etiam observat D. Chrysostomus [2] explicans parabolam de decem virginibus, quam Christum Dominum adduxisse dicit, ut ostenderet virginitatem, etsi res est naturâ sublimis, si tamen misericordiæ bonis caret, cum fornicatoribus ejici: merito ergo fatuæ virgines vocantur, quæ cum lampades habeant integras, oleo caritatis vacuas relinquunt. Sed homini casto et bonis operibus intento hæc verba prophetæ [3] appropriare possumus: *Ingredieris in abundantiâ sepulchrum, sicut infertur acervus tritici in tempore suo.* Id est, morieris cum magnâ divitiarum spiritualium abundantiâ et cum ingenti segete bonorum operum, quæ morientes in Domino sequuntur, cum quibus introduceris in cœlum, eo modo quo acervus tritici tempore suo in horreum infertur.

3. **Utilitas societati et proximo.** — Castitatem colens perpetuam eo ipso magis expeditus fit ad ministerium spirituale peragendum, et sic plurimos spirituales filios in Christo societati generat: "quia igitur, ait Seraphicus Bonaventura [4], hæc continentia — licet videatur facere ad diminutionem hominum in civitate terrenâ, — quia facit ad accelerationem numeri electorum, plus utilitati communi conso-

(1) I COR. VII, 34. — (2) Homil. 78 alias 79 in Matth. XXV, 1. P. G. t. 58, col. 711.— (3) JOB. v. 26. — (4) L. c. n. 6, p. 174.

nat, quam repugnet, maxime cum plus abundet in terrenis numerus virorum carnalium quam spirituaiium, ex quibus repleri valeat paradisus, Unde Augustinus, in libro de *bono conjugali* [1]: Sed novi quid murmurent. Quid si, inquiunt, omnes vellent ab omni concubitu abstinere, unde subsisteret genus humanum? Utinam hoc omnes vellent, dumtaxat *in caritate, de corde puro et conscientiâ bonâ et fide non fictâ* [2]. Multo citius Dei civitas compleretur et acceleraretur terminus sæculi."

§ III. — *De fine sublimi virginitatis.*

1352. — Virginitas ad eumdem finem ordinatur ac castitas perfecta, sed ultra hunc finem ad scopum omnino specialem ordinatur, qui est *conformitas perfecta ad Christum sponsum.* Virgo enim, ait Seraphicus Doctor [3], in carne mortali vitam non humanam agit, sed cœlestem, et in perfectâ integritate tam in corde, quam in corpore Domino serviens Christo, totius pulchritudinis fonti conformatur. Inde emanat virginitatis prærogativa singularis *sequi Christum quocumque ierit* et *ei cantare canticum novum* [4]. Ast quid sublimius quam Christo conformari! Christo frui! Modo non omnibus sanctis communi, sed omnino singulari. S. Augustinus hunc virginitatis finem mirifice extollit et virgines sedulo exhortatur ut totis animæ viribus propositum servent virginitatem observandi: "*Sequi agnum quocumque ierit,* ait [5], proprium est virginum. Pergite itaque, exclamat S. Doctor, sancti Dei, pueri et puellæ, mares ac feminæ, cælibes et innuptæ; pergite perseveranter in finem. Laudate Dominum dulcius, quem cogitatis uberius; sperate felicius, cui servitis instantius; amate ardentius, cui placetis attentius. Lumbis accinctis et lucernis ardentibus exspec-

(1) Cap. 10 n. 10 sic citatur a S. Bonaventura. P. L. t. 40, col. 381.— (2) I Tim. I, 5.—(3) L. c. art. 3, p. 176 et seq.—(4) Apoc. XIV, 4 et 3.— (5) *De Virg.* cap. 27. P. L. t. 40. col. 410, 411.

tate Dominum, quando veniat a nuptiis [1]. Vos afferetis ad nuptias Agni canticum novum, quod cantabitis in citharis vestris. Non utique tale quale cantat universa terra... sed tale quale nemo poterit dicere nisi vos. Sic enim vos vidit in Apocalypsi quidam præ ceteris dilectus ab Agno, qui discumbere super pectus ejus solitus erat, et bibebat et eructabat mirabilia super cœlestia Verbum Dei. Ipse vos vidit... et quia sequimini Agnum quocumque ierit, scripsit ille de vobis [2]. Quo ire putamus hunc Agnum, quo nemo eum sequi vel audeat vel valeat nisi vos? Quo putamus eum ire? In quos saltus et prata? Ubi credo sunt gramina gaudia; non gaudia sæculi hujus vana, et insaniæ mendaces, nec gaudia qualia in ipso regno ceteris non virginibus erunt, sed a ceterorum gaudiorum sorte distincta. Gaudium virginum Christi de Christo, in Christo, cum Christo, post Christum, per Christum, propter Christum."

CAPUT III.

DE VOTO CASTITATIS RELIGIOSÆ.

1353. — Cum status religiosus necessario votum castitatis postulet, 1) de naturâ hujus voti et 2) de bonis quæ religiosis ex eo obveniant, tractandum venit.

§ I. — *De naturâ voti castitatis religiosæ.*

Inquiremus 1) quid sit, 2) quotuplex sit votum castitatis religiosæ, et 3) quomodo ab Ecclesiâ regatur.

1354. — 1. **Quid votum castitatis religiosæ?** — Est promissio a personâ religiosâ Deo facta de abstinentiâ ab omni delectatione venereâ tam licitâ quam illicitâ [3].

(1) LUC. XII, 35, 36.— (2) APOC. XIV, 2-4.— (3) P. PIATUS, t. I, pars III, cap. II, art. 2, punctum 2, q. 287.

Quid importat?— Per votum castitatis religiosæ Deo promittitur castitas perfecta; unde professionem emittens se adstringit 1) ad servandum cœlibatum et 2) insuper novo titulo, id est ipsius voti, ad abstinendum a quocumque actu castitati opposito [1].

OBJECTUM MATERIALE voti castitatis idem igitur est ac virtutis, et inde votum obligat non solum ad abstinendum a conjugio et omni carnali copulâ, sed etiam ab omni actu venereo, sive externo, sive interno castitati opposito, puta a turpibus cogitationibus, delectationibus morosis, desideriis carnalibus, impudicis aspectibus, etc [2].

1355.— 2. **Quotuplex est castitatis votum?**— Uti jam vidimus, duplex habetur votum castitatis; alterum simplex, alterum solemne.

3.— **Eorum regimen.**— Etsi votum solemne et simplex specifice non differunt, diverso tamen modo ab Ecclesiâ reguntur.

a) Votum simplex in professione religiosâ emissum 1) nunquam solvit matrimonium jam contractum, 2) nec *per se* est impedimentum matrimonii *dirimens*, sed tantum *impediens*; 3) dispensatio tamen voti simplicis reservatur S. Sedi.

b) Votum solemne e contra 1) solvit matrimonium ratum non consummatum et 2) est impedimentum dirimens futuri matrimonii.

§ II.— *De bonis quæ religiosis ex voto castitatis obveniunt.*

1356.— Per votum castitatis religiosus 1) fit res sacra, 2) civis regni cœlestis, et 3) hic in terrâ jam superabundans gaudio.

---

(1) Normæ, art. 129.— (2) Cfr. P. Piatus, l. c.

1.— **Res sacra.**— Votum enim castitatis est quasi regium sigillum quo munitur ne ullus homo eum audeat violare, quia soli Deo est consecratus et tanquam sponsa summi regis summe veneranda. Unde religiosis appropriari potest quod S. Cyprianus de virginibus affirmat [1] : " Flos est ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritalis, laudis et honoris opus integrum atque incorruptum, Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi... Servate, virgines, servate quod esse cœpistis, servate quod eritis. Magna vos merces manet, præmium grande virtutis, munus maximum castitatis; Domini vox est illa dicentis [2]: *Filii hujus sæculi nubunt et traduntur ad nuptias; illi vero qui digni habebuntur sæculo illo, et resurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent uxores; neque enim ultra mori poterunt; æquales enim angelis sunt et filii sunt Dei.*"

2.— **Civis regni cœlestis.**— Religiosus in carne degens, non carnaliter vivit, sed instar angelorum, carnis actus et affectus exuit. *In carne ambulantes*, ait S. Paulus [3], *non secundum carnem militamus*, quia ea quæ sunt carnis respuimus et super illa, superque nos ipsos ad spiritualia et cœlestia nos levamus. Et de religiosis dicimus quod S. Cyprianus affirmat [4]: " Quod futuri sumus, jam vos esse cœpistis. Vos resurrectionis gloriam in isto sæculo jam tenetis, per sæculum sine sæculi contagione transitis. Cum castæ perseveratis, et virgines, angelis Dei estis æquales." Sed ulterius idem hoc ipsum amplificat: " Virginitas æquat se angelis, ait [5], si vero exquiramus, etiam excedit; dum in carne luctata victoriam etiam contra naturam refert quam non habent angeli."

(1) Lib. *De hab. virgin.* n. III, XXII, P. L. t. 4, col. 455, 474.— (2) LUC. XX, 34-36.— (3) II COR. X, 3.— (4) L. c. n. XXXII, col. 475.— (5) Lib *De discipl. et bono pudicitiæ. 7*, P. L. t. 4, col. 855, opusculum dubium est.

3.— **Religiosus superabundat gaudio.**— Alterum insigne voti castitatis beneficium est quod animam religiosi immenso replet gaudio. Sed quid in hoc statu experiatur religiosus, experto tantum notum est, ait Cassianus [1], qui de hâc materiâ agens dicit: "Magna enim vere, atque mirifica sunt, ait, nec ulli hominum penitus nisi his tantum qui experti sunt, nota, quæ Dominus fidelibus suis adhuc in isto corruptionis vasculo constitutis ineffabili largitur liberalitate. Quæ Propheta mentis puritate perlustrans, tam ex suâ quam ex illorum personâ qui in hunc statum, affectumque perveniunt, exclamavit: *Mira opera tua, Domine, et anima mea cognoscet nimis* [2]. Alioquin nihil novi nec magni intelligitur propheta dixisse, si alio cordis affectu vel de aliis operibus Dei hæc pronuntiasse credatur. Nullus etenim est hominum qui mira esse opera Dei etiam ex ipsius creaturæ magnitudine non agnoscet. Ceterum illa quæ in sanctis suis quotidiana operatione dispensat, ac speciali munificentiâ affluenter effundit, nullus alius nisi anima perfruentis agnoscit, quæ in secreto conscientiæ suæ ita est beneficiorum ejus arbitra singularis, ut ea non solum nullo valeat sermone disserere, sed ne sensu quidem et cogitatione complecti, cum ab illo ignito fervore discedens, ad istos materiales ac terrenos intuitus fuerit devolut a."

Hanc admirabilem divinæ gratiæ efficaciam experti sunt et quotidie experiuntur peccatores qui disruptis luxuriæ vinculis quibus tenebantur, se in Dei obsequium toto animo contulerunt. Hoc omnes testantur consensu unanimo: "Quam, inquit S. Augustinus [3], suave mihi subito factum est carere suavitatibus nugarum! et quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat. Ejiciebas enim eas a me, vera tu et summa suavitas: ejiciebas et intrabas pro eis omni voluptate dulcior, sed non carni et sanguini; omni

(1) Coll. 12, c. 12, P. L. t. 49, col. 891, 892.— (2) Ps. CXXXVIII, 14, In Vulg. *Mirabilia opera tua.*—(3) *Confes.* L. 9. c. 1. P. L. t. 32, col. 763.

luce clarior, sed omni secreto interior; omni honore sublimior, sed non sublimibus in se."

Hoc idem experimento testatur S. Cyprianus [1]: "Postquam, ait, undæ genitalis auxilio superioris ævi labe detersâ, in expiatum pectus serenum ac purum desuper se lumen infudit, postquam, cœlitus spiritu hausto, in novum me hominem nativitas secunda reparavit, mirum in modum protinus confirmare se dubia, patere clausa, lucere tenebrosa, facultatem dare quod prius difficile videbatur, geri posse quod impossibile putabatur." Hæc omnia, notat Alardus Gazæus [2], "et in se recognoscere, et de se prædicare potest religiosus quisque. Nam quod illi baptismus præstitit, nobis præstat religiosa professio, per quam mundo ac vitæ priori morimur, et Deo ac vitæ spirituali nascimur et in novam transformamur creaturam." Nam, uti vidimus, ipsa professio religiosa alter baptismus a patribus nuncupatur.

De hâc mutatione dexteræ Excelsi loquens [3], et in castitatis dulcedine et jucunditate quasi in admiratione defixus, S. Ephrem [4]: "O castitas, inquit, mater dilectionis, et angelicæ vitæ ratio! O castitas quæ mundo es corde, et dulci gutture, hilarique aspectu! o castitas, quæ homines angelis similes reddis! O castitas, portus tranquillus in summâ pace ac serenitate constitutus! O castitas quæ cor possidentis te lætificas, et animæ ad cœlestia alas adjungis! O castitas, quæ spirituale gaudium paris, et mærorem aufers! O castitas, quæ passiones minuis et animum a perturbationibus liberas! O castitas, currus spiritualis possessorem tuum in sublime evehens! O castitas, quæ rosæ instar in medio animæ, et corpore efflorescis, et domum universam fragrantiâ reples!"

(1) Epist. I ad Donatum n. 4 P. L. t. 4, col. 204.—(2) Commentarius in Cassiani Coll. XII, cap. XII. P. L. t. 49, col. 892.— (3) Ps. LXXVI, 11. — (4) In Sermone *de castitate*, cit. ab Alardo Gazæo l. c. col. 894.

CAPUT IV.

DE LUXURIÂ SEU DE PECCATO VIRTUTI ET VOTO CASTITATIS OPPOSITO.

1357. — Peccatum virtuti et voto castitatis oppositum luxuria est; inquirendum venit 1) de ejusdem naturâ atque 2) malitiâ.

§ I. — *De naturâ luxuriæ.*

Ut accuratius intelligas quid per luxuriam intelligatur, dicemus *a)* de variis delectationis speciebus in genere, *b)* de ipsâ delectatione venereâ in specie, *c)* de peccato luxuriæ, et demum *d)* quandonam et quomodo religiosus in hâc materiâ peccet.

1358. — A. **De variis delectationis speciebus.** — Jam vidimus [1] quid sit delectatio et gaudium. Ast variæ inveniuntur delectationis species.

1. — *Delectatio pure spiritualis*, quæ tota residet in voluntate, cui placet cognitio veritatis vel ipsa veritas cognita. Hæc delectatio moraliter bona vel mala est, prout id, quod placet bonum vel malum est.

2. — *Delectatio spiritualis sensibilis*, quæ adhuc residet in voluntate, sed tam vehemens est ut in appetitum sensitivum redundet, et conjuncta est cum commotione cordis et sanguinis. Oritur potissimum ex vivaciore repræsentatione personæ, tenero sed honesto affectu, præcipue ob qualitates spirituales amatæ. Ejusmodi delectatio comitari solet amorem quo mater prosequitur filium, amicus amicum. Ipsa sejuncta est a delectatione carnali, ideo per se moraliter indifferens est.

3. — *Delectatio sensibilis* illa est quæ in organis sensuum

(1) Cfr. n. 160.

percipitur, e. g. ex olfactu floris, ex tactu rei lenis, etc. oritur affectio de quâ delectatur appetitus sensitivus. Tactus enim vel visus in his placet et per se quidem absque commotione venereâ, unde hæc delectatio per se indifferens est. Dicimus *per se*, nam commotio carnalis quandoque cum eâ conjungitur, ut si quis mulcet faciem alterius personæ.

4. — *Delectatio sensualis* oritur ex tactu v. g. amplexu, osculo personæ ob pulchritudinem et venustatem affectu sensibili adamatæ. Hæc delectatio tota residet in appetitu sensitivo, et vehementer conjuncta est cum commotione cordis et sanguinis, et licet per se non sit carnalis, facile tamen excitat commotionem carnalem [1].

1359. — B. **Delectatio venerea de quâ nunc in specie agendum.**

Quid est delectatio venerea? — Illa est quæ in organis generationis sedem habet et ex commotione nervorum in illis partibus oritur.

Quotuplex est. — Duplex invenitur delectatio venerea: completa nempe et incompleta. *a) Completa* ea est quæ naturam satiat, quæ scilicet usque ad ultimum, qui in re venereâ possibilis est, procedit. *b) Incompleta*, quæ naturam non satiat, quæ scilicet ex turpi commotione oritur quin ad ultimum terminum procedat [2].

1360. — C. **De peccato luxuriæ.** — Luxuria est inordinatus appetitus delectationis venereæ.

Quotuplex est. — Duplex distinguitur luxuria, completa nempe et incompleta. *Completa* illa est in quâ seminis effusio intervenit; *incompleta* in quâ hæc effusio non habetur.

LUXURIÆ ACTUS. — Præter actum consummatum in quo seminis effusio habetur, habentur adhuc actus non consummati, illi nempe qui præparationes quædam sunt et inchoationes actûs consummati, ut sunt lectiones, sermones,

(1) Cfr. Noldin, *De sexto præcepto*, n. 7. — (2) NOLDIN, l. c. n. 8.

aspectus, oscula et tactus. Etsi hi actus non sint intrinsece mali naturâ suâ, semper sunt periculosi.

1361.— D) Quandonam et quomodo religiosus in hâc materiâ peccat.

1) Religiosus qui delectationem veneream *directe*, i. e. *in se* et in ordine ad seminis effusionem producendam intendit, *mortaliter* peccat tum contra virtutem tum contra votum castitatis. Aliis verbis, qui voluntarie pollutionem seu seminis effusionem desiderat vel producit, duplici reus fit malitiâ, luxuriæ nempe et sacrilegii. [1]

2) Qui vero delectationem veneream *indirecte* vult habere, i. e. quando *in se* aliud (e. g. aspectus, lectio) intenditur, ex quo præter intentionem delectatio carnalis oritura prævidetur, tunc aliquando peccat mortaliter, aliquando venialiter, aliquando vero nullum committit peccatum.

a) PECCAT MORTALITER peccato luxuriæ quando actus qui ponitur talis sit naturæ ut de se inducat delectationem venereamet et nullum sufficiens motivum et necessitas eum cohonestet.

b) PECCAT VENIALITER peccato sensualitatis quando actus qui ponitur non sit ex naturâ suâ proxime connexus cum delectatione venereâ et absque motivo sufficienti exercetur; imo

c) NULLUM COMMITTIT PECCATUM, si interveniat motivum rationabile, ut mos patriæ etc. In his tamen omnibus supponitur abesse in casu particulari proximum periculum consensûs in delectationem venereamforte oriundam.

Hæc omnia directe ad theologiam moralem spectant: quare naturæ peccati luxuriæ jam amplius non est insistendum, sed de ejusdem malitiâ inquirendum.

(1) Non repugnat tamen, ait P. Vermeersch, ut votum violetur, intactâ castitatis virtute: puta quempiam, adversus privatum castitatis votum, uxorem ducere et matrimonio uti. Peccatum uni adversabitur Religioni. (O. c. t. I, n. 283).

§ II.— *De malitiâ luxuriæ.*

1362.— Cujusvis generis luxuria graviter 1) a Deo prohibetur, 2) præ ceteris peccatis fœdat christianum et 3) potissimum religiosum.

1. **A Deo prohibetur omnis luxuria** etiam interna et numeratur inter peccata quæ a regno Dei excludunt. *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria... qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* [1] *Omnis fornicator, aut immundus,* ait idem S. Paulus [2], *non habet hæreditatem in regno Christi et Dei.* Et ad Corinthios [3] scribit: *Nolite errare; neque fornicarii... neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores... regnum Dei possidebunt.*

DICIMUS ETIAM "INTERNA." — Nam delectationes voluntariæ et desideria censentur mortalia, etiam si opus ipsum respuitur. Ipse Christus hoc insinuat dicens [4]: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Idem satis clare docet D. Augustinus [5], D. Gregorius [6]; et huc spectat illa D. Hieronymi [7] gravis et acuta sententia: "Perit e *mente* virginitas."

2. **Luxuria fœdat christianum.**— Etsi luxuria inter peccata mortalia graviora a theologis non censetur, si tamen a christiano perpetratur, ei inest fœditas peculiaris, ait clarissimus Noldin [8]: "Corpus enim christiani in baptismo Christi sanguine purificatum, per inhabitantem Spiritum Sanctum Dei templum factum est; per peccatum autem luxuriæ hoc corpus, sacramentorum præsertim Eucharistiæ receptione sanctificatum, quippe quod objectum fiat peccati profanatur atque execratur." [9]

(1) GAL. v, 19 et 21.— (2) EPHES. v, 5. — (3) I COR. VI, 9 seq. — (4) MATTH. v. 28.— (5) Lib. XII *de Trinit.* cap. 12. P. L. t. 42, col. 1008. — (6) *Regulæ pastoralis liber,* pars I, cap. XI. P. L. t. 77, col. 26.— (7) Epist. ad Eustoch. XXII. n. 5. P. L. t. 22, col. 397.— (8) *De sexto,* pr. n, 11.— (9) Cfr. I COR. VI, 11-19.

3. **Potissimum fœdat religiosum.**— Castitatis jactura maxime est horrenda. Nam ut S. Ambrosius dicit: [1] "Castitas angelos fecit. Qui eam servavit, angelus est; qui perdidit, diabolus." Unde de religioso qui contra castitatem peccat dicere possumus quod idem S. Pater [2] ait: "Eras virgo in paradiso Dei, utique inter flores Ecclesiæ: eras sponsa Christi, eras templum Dei, eras habitaculum Spiritûs Sancti. Et cum dico toties *eras*, necesse est toties ingemiscas: quia non es quod fuisti. Incedebas in Ecclesiâ tanquam columba illa, de quâ scriptum est [3]: *Pennæ columbæ deargentatæ, et posteriora dorsi ejus in specie auri*, splendebas ut argentum, fulgebas ut aurum, quando cum sincerâ conscientiâ procedebas. Eras tanquam stella radians in manu Domini, nullum ventum, nullas belli nebulas pertimescebas. Quæ ista subitanea conversio? Quæ ista repentina mutatio? De Dei virgine facta es corruptio satanæ, de sponsâ Christi scortum exsecrabile, de templo Dei fanum immunditiæ, de habitaculo Spiritûs Sancti tugurium diaboli... Væ tibi, misera, et iterum væ, quæ tanta bona propter parvi temporis luxuriam perdidisti! Quam tibi spem apud Christum Dominum reliquisti, cujus membra tollens fecisti membra meretricis." [4] Unde, carissime Frater, esto fortis animo, et præpara animam tuam ad tentationem.

(1) L. 1. *De Virg.* c. 8 n. 52. P. L. t. 16, col. 214.— (2) Lib. *De Lapsu Virg. consecr.* c. 2 et 3, n. 6-8. P. L. t. 16, col. 384, 385. — (3) Ps. LXVII, 14.— (4) I COR. VI, 15.

CAPUT V.

DE ASPERITATE BELLI CONTRA LUXURIAM.

1363. — S. Cæsarius de virtute castitatis agens ausus est dicere [1]: "Inter omnia christianorum certamina sola duriora sunt prælia castitatis; ubi quotidiana est pugna et rara victoria. Gravem namque castitas sortita est inimicum, qui quotidie vincitur, et timetur."

Attamen Religiosus, ut merito notat Seraphicus Doctor [2], "Castitatem vovens non se committit periculo, sed divino consilio, divino patrocinio et spirituali exercitio, in quo et spiritus consolatur, et carnalitas enervatur, et tanquam ex loco munito contra tentamenta diaboli ad concupiscentiam inflammantis virilius dimicatur." Dicemus igitur: 1. De pugnâ contra luxuriam et 2. de auxilio divino quo in hâc pugnâ protegitur religiosus.

§ I. — *De pugnâ contra luxuriam.*

1364. — Vita religiosa apte comparatur paradiso Dei, quoniam religiosi qui cœlestem habent sponsum, cœlestem debent agere vitam, et qui angelicam profitentur puritatem, angelicos tenentur imitari mores, et ita vivere in terrâ sicut angeli degunt in cœlo et sancti in paradiso. Sed, proh dolor! Si vita religiosa locus est pacis et quietis, eamdem profitentes semper periculo belli manent expositi. Siquidem religiosi etiam castitate perfecti libidinosis vexantur cogitationibus et saltem aliquando motus experiuntur carnales. Hoc 1) fatetur Apostolus Paulus, 2) docent SS. Patres,

(1) In app. operum S. August. Sermo 293, alias 250 de tempore n. 2. P. L. t. 39, col. 2302.— (2) Q. disp. q. 3, art. 2. c. n. 8. Op. t. V p. 174.

3) innuit Concilium Tridentinum et 4) probatur experientiâ sanctorum.

1. **Testimonium Sancti Pauli.** — Apostolus ipse fatetur [1]: *Datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus satanæ, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet a me...* et hujusmodi motus carnis rationi repugnantes, aut eam prævenientes in se deplorat dicens [2]: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati. Infelix ego homo! Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Et tamen quis dubitet, Frater, Apostolum Paulum perfectam puritatem et castitatem fuisse assecutum?

2. **Testimonium S.S. Patrum.** — S.S. Patres passim asserunt motus carnis in hâc vitâ non posse penitus exstingui: *a)* S. Augustinus [3]: "Concupiscentiam, inquit, quis ambigat in hâc vitâ posse minui, non posse consumi?" Et *b)* S. Gregorius [4]: "Non quidem tolli potest carni, quod lex carnis membra non moveat; sed tamen tolli potest carni violentia motionis, ut relinquatur ei motus; sed eidem motui omnis delectationis obscœnitas auferatur, et simplex motus ille sit in quo reliqua libidinis turpitudo non sit."

3. **Testimonium concilii Tridentini.** — His accedit definitio concilii Tridentini [5] quâ dicitur: manere in baptizatis concupiscentiam, eamque ad agonem (id est certamen) in nobis relictam, sic tamen, ut non consentientibus, sed per gratiam Christi Jesu viriliter repugnantibus nocere non valeat, quin immo ad coronam multum prosit.

Et hanc ob rationem S. Bernardus hominem castum angelo anteponit [6]: "Quid, inquit, castitate decorius, quæ

(1) II Cor. XII, 7, 8.— (2) Rom. VII, 23, 24. — (3) *Contra Julianum Pelagianum* Lib. VI, cap. XVI, n. 49. P. L. t. 44, col. 851.— (4) In prim. Reg. lib. 5, cap. I, n. 13. P. L. t. 79, col. 322, 323.— (5) Sess. V *De peccat. orig.* n. 5.— (6) *Tractatus de moribus et officio Episc.* cap. III, n. 8. P. L. t. 182, col. 816.

mundum de immundo conceptum semine, de hoste domesticum, angelum de homine facit? Differunt quidem inter se homo pudicus et angelus, sed felicitate, non virtute. Sed, etsi illius castitas felicior, hujus tamen fortior esse cognoscitur. Sola est castitas, quæ in hoc mortalitatis et loco, et tempore statum quemdam immortalis gloriæ repræsentat."

4. **Exempla Sanctorum.** — Varia hic afferri possunt exempla sanctorum qui carnis tentationibus fuerunt afflicti, ut Seraphicus Pater [1] et S. Benedictus [2], qui in spinas et vepres corpus nudum provolverunt. Sed omnino mirandum est quod S. Hieronymus de suis scribebat tentationibus in epistolâ ad virginem Eustochium [3]: "O quoties ego ipse, ait, in eremo constitutus, et in illâ vastâ solitudine, quæ exusta solis ardoribus, horridum monachis præstat habitaculum, putabam me romanis interesse deliciis. Sedebam solus, quia amaritudine repletus eram. Horrebant sacco membra deformia, et squalida cutis situm æthiopicæ carnis obduxerat. Quotidie lacrymæ, quotidie gemitus, et si quando repugnantem somnus imminens oppressisset, nuda humo ossa vix hærentia collidebam. De cibis vero et potu taceo, cum etiam languentes monachi aquâ frigidâ utantur, et coctum aliquid accepisse, luxuria sit. Ille igitur ego, qui ob gehennæ metum, tali me carcere ipse damnaveram, scorpionum tantum socius et ferarum, sæpe choris intereram puellarum. Pallebant ora jejuniis, et mens desideriis æstuabat in frigido corpore, et ante hominem suâ jam in carne præmortuum, sola libidinum incendia bulliebant. Itaque omni auxilio destitutus, ad Jesu jacebam pedes, rigabam lacrymis, crine tergebam; et repugnantem carnem hebdomadarum inediâ subjugabam. Non erubesco infelicitatis meæ mise-

(1) S. BONAV. *Leg. S. Francisci* cap. v, n. 3 et seq. Opera t. 8, p. 517. — (2) Cfr. S. Gregor. L. 2 *Dialog.* c. 2. P. L. t. 66, col. 132. — (3) S. HIERON. Epist. 22. P. L. t. 22, col. 398.

riam confiteri, quin potius plango me non esse, quod fuerim. Memini me clamantem, diem crebro junxisse cum nocte, nec prius a pectoris cessasse verberibus, quam rediret, Domino increpante, tranquillitas.

Et, ut ipse mihi testis est Dominus, post multas lacrymas, post cœlo inhærentes oculos, nonnunquam videbar mihi interesse agminibus angelorum, et lætus gaudensque cantabam: *Post te in odorem unguentorum tuorum curremus* [1]."

Uti vides, Frater, bellum contra luxuriam asperrimum est, sed luctanti non deest Dei auxilium.

§ II.—*De divino auxilio quo gaudet religiosus.*

1365.— Ad castitatem conservandam fortitudine igitur indiget homo. Sed ut libidinem vincat, de illâ triumphet, pacemque internam hostibus debellatis obtineat, gratiâ indiget Dei. Nam nisi Dominus custodierit castitatem, frustra vigilat qui custodit eam. Ast Deus 1) per se ipsum et 2) per ministerium angelorum curam gerit de sponsis suis.

1.— **Per seipsum.**— Nam si virgo innupta cogitat quæ Domini sunt, Dominus cogitabit quæ sunt illius ut illam custodiat, defendat, et protegat. Sicut ex communicatione cum Deo facies Moysi ita reddita est splendida ut populus eam ferre non potuerit [2], ita ex communicatione animæ castæ cum castissimo agno Christo, facies ejus redditur pulchra et ita pudicitiâ splendet ut iniqui tentatores non audeant illam inspicere et fugiant quasi per gratiam divinam longe perterriti.

2.— **Per angelos.**— Angelis de castitate virginum tuendâ mandat Deus, et angeli libentissime animas custodiunt castas, quia sui similibus gaudent sociari. Hoc satis expertæ sunt beata Lucia, beata Cæcilia, quarum virginitas mirabili-

(1) CANT. I, 3.— (2) EXOD. XXXIV, 30.

ter est ab angelo custodita et ab ingentibus erepta periculis. Sed quod quibusdam visibiliter est præstitum, hoc omnibus invisibiliter præstatur. Unde, carissime Frater, etsi thesaurum tuum habes in vase fictili, esto bono animo. Fictile vas te terreat, ne superbias et ne securum te putes, at sublimitas Dei te erigat, ne desperes et victoriam te obtenturum esse confidas. Licet Deus pro religiosis vigilet, necessaria tamen est ad castitatis custodiam ipsa religiosorum custodia, per usum mediorum ad victoriam reportandam rite ordinatorum.

CAPUT VI.

DE MEDIIS AD LUXURIAM SUPERANDAM.

1366.— Ad pretiosum castitatis thesaurum conservandum plurima inveniuntur media: 1) alia sunt consilia omnibus, etiam fidelibus in statu communi, commendata; 2) alia sunt cautiones jure communi omnibus regularibus proprie dictis, vel 3) a Regulâ Franciscanâ nobis in specie præscriptæ. De quibus nunc agendum.

§ I.— *De mediis generalibus.*

1367.— Eximio amore diligenda est castitas, nam si pulchrum est amabile, quid pulchrius castitate! Sed si castitas amatur, eodem amore prosequenda sunt media ad eam conservandam ordinata. Præter frequentem sacrosanctæ Eucharistiæ perceptionem quæ est panis angelorum vinumque germinans virgines [1], et devotionem erga Virginem Imma-

(1) "Christus enim exsistens in nobis, sopit sævientem in nostris membris carnis legem, et pietatem in Deum exsuscitat, perturbationes mortificat." S. CYRILLUS ALEX. Lib. IV, *in Joann.* cap. 2, super Joann. VI, 57, P. G. t. 73, col. 586.

culatam, media generalia ad tria sequentia reduci possunt 1) ad vigilantiam, 2) ad humilem orationem, et 3) ad jejunium.

1368.— I.— **De vigilantiâ.**— Vigilantia de quâ hic agitur, est attentio ad castitatis inimicos qui potissimum sunt: 1) sensus externi, 2) imaginationes pravæ et 3) societas et contubernium luxuriosorum.

1.— SENSUS EXTERNI.— Exteriores sensus et membra sunt quasi fures et corruptores castitatis, et omnes coercendi sunt, ait P. David ab Augusta [1]: "ne hauriamus per ea mortiferum corruptionis aërem. Job [2] ait: *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.* Sic boni religiosi, prosequitur idem auctor, recludunt se in cellis et monasteriis quasi in sepulchris, ne vel ipsi concupiscant mundum, vel concupiscantur. Quanto enim rarius vides et audis quæ mundi sunt, tanto affectus tuus ad ea concupiscenda frigidior erit, et minus cogitabis ea. Et e converso, quando frequentius cum sæcularibus conversaris, eo magis pulvere sæculi respergeris, quo insensibiliter paulatim interius tenebrescis, et affectus fit crudus et mores insuaves. In molendino non pulverulentum fieri, vix possibile est."

2.— PRAVÆ IMAGINATIONES.— "Nulla exterior munitio sufficit ad custodiam urbis, docet etiam noster P. David [3], ubi domestici perfidi fuerint; ita nulla custodia forinseca castitatem conservat sine custodiâ internâ cogitationum et affectionum."

Ad hoc periculum præcavendum *a)* principiis obsta, Frater et *b)* fuge otiositatem.

a) Principiis obsta.— S. Hieronymus hoc tradit consilium virgini Eustochio [4], "Cum paululum interior homo inter vitia atque virtutes cœperit fluctuare, dicito: *Quare tristis*

(1) O. c. L. 2, pars II, c. 50, n. 6, p. 157 et seq.— (2) XXXI, 1.— (3) L. c. n. 7.— (4) *Ad Eustoch,* P. L. t. 22, col. 398.

es, anima mea, et quare conturbas me? Spera in Domino, quia confitebor illi, salutare vultus mei, et Deus meus [1]. Nolo sinas cogitationes crescere. Nihil in te Babylonium, nihil confusionis adolescat. Dum parvus est hostis, interfice: nequitia, ne zizania crescant, elidatur in semine. Audi Psalmistam dicentem: *Filia Babylonis misera, beatus qni retribuet tibi retributionem quam retribuisti nobis. Beatus qui tenebit, et allidet parvulos tuos ad petram* [2], quia enim impossibile est in sensum hominis non irruere innatum medullarum calorem, ille laudatur, ille prædicatur beatus, qui ut cœperit cogitare sordida, statim interficit cogitatus, et allidet ad petram: *petra autem Christus est* [3]."

b) Fuga otiositatis.— Nam ut Guigo Carthusianus [4] docet: "Omnium autem tentationum et cogitationum malarum sentina otium est." Quia non minus castitati quam ipsi animæ inimica est otiositas. "Qui thesaurum magnum in fragili corpore portatis, inquit Trithemius [5], otium fugite, semper aliquid boni facite, ut quoties tentator diabolus accesserit, utiliter vos occupatos inveniat. Enimvero qui otiosus est, insidiis patet tentantis; qui autem occupatur in opere bono, aditum clausit omnem insidiis."

3. SOCIETAS ET CONTUBERNIUM LUXURIOSORUM. — Eorum enim exemplo ad similia pertrahuntur homines, nam: *qui se jungit fornicariis*, ait Scriptura [6], *erit nequam*, et "ideo, ait P. David [7], facilius trahitur aliorum exemplo ad illud, quod appetit ejus sensus carnalis, dum non erubescit vitiosus videri, habens secum socios miseriæ suæ... Unde proverbium apud homines est: qui cum lupis esse vult, oportet eum cum ipsis etiam ululare."

---

(1) Ps. XLI, 12.— (2) Ps. CXXXVI, 8-9.— (3) I COR. X, 4.— (4) Epist, ad Fratres de Monte Dei, l. 1 cap. 8, n. 21, Inter opera S. Bernardi, P. L. t. 184. col. 321.— (5) Homil. 21.— (6) ECCLI. XIX, 3.— (7) L. c. n. 3 p. 153 et seq.

1369. — II. **De humili oratione.** — 1° ORATIO tam vocalis quam mentalis aliud medium est ad castitatem conservandam; unde Sapiens ait [1]: *Ut scivi quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det: adii Dominum, et deprecatus sum illum.* "Et ideo semper est orandum, ait P. David [2], quia sine ipsius (Dei) auxilio nihil possumus facere, ut rore gratiæ suæ restringat in nobis ignem concupiscentiæ... Cum Moyses in monte orans manus elevaret ad Deum, vincebat Israël; Cum vero remitteret eas et deponeret, vincebat Amalec. [3] *Moyses* est religiosus de aquis sæculi extractus, *Amalec* vero tentatio carnis, *manus* Moysi sunt affectus et memoria. Quando istas manus elevamus ad Deum, hostis succumbit tentationis; quando ad terrena eas remittimus, hostis roboratur." Et non mirum, Frater, nam religiosus orationi addictus Deum semper pro viribus habet præsentem, ast, ait Cassianus, castitatem perpetuo tenere poteris [4]: "si Deum non solum secretorum actuum nostrorum, verum etiam cogitationum cunctarum diurnum pariter nocturnumque inspectorem esse et conscium cogitemus, ac pro omnibus, quæ in nostro corde versantur, sicut pro factis et operibus nostris rationem nos ei reddituros esse credamus."

2. ORATIO HUMILIS. — Nam si *oratio humiliantis se nubes penetrabit* [5], orationem superbi Deus exaudire non vult. Quâ de causâ castitatem "Seniores aiunt apprehendi non posse, nisi prius humilitatis in corde fundamenta fuerint collocata", inquit Cassianus [6]. Et S. Gregorius dicit [7]: "Nulla est castitas carnis quam non commendat suavitas mentis". Cui concinit illud S. Bernardi [8]: "Castitas superba non castitas est, sed ornatum diaboli prostibulum."

(1) SAP. VIII, 21. — (2) L. c. n. 8 p. 159 et seq. — (3) Cfr. EXOD. XVII, 8 et seq — (4) Lib. VI *Inst.* c. 21. P. L. t. 49, col. 290. — (5) ECCLI. XXXV, 21. — (6) Lib. VI *Instit.* c. 18. P. L. t. 49, col. 288. — (7) Lib. VI *Moral.* cap. 34. P. L. t. 75, col. 758. — (8) In *Cantica canticorum* Commentatio ex S. Bernardo n. 30, P. L. t. 184, col. 431.

1370. — III. **Jejunium.** — Primo ergo qui incorruptam servare castitatem desiderat, jejunio ante omnia corpus affligere debet. Hinc S. Ambrosius [1]: "Libido, inquit, gravis ignis est, et ideo non debemus illi alimenta luxuriæ. Pascitur libido conviviis, nutritur deliciis, vino accenditur, ebrietate inflammatur." Et S. Joannes Climacus [2]: "Qui servit ventri suo, et interim conatur spiritum luxuriæ vincere, perinde facit atque is qui incendium oleo vult exstinguere." Quapropter "Sanctissimi principes monachorum cupientes amputare libidinis causas, victum nobis parcum et tenuem constituerunt ad certam mensuram quo corpus sustentetur ad necessitatem, et non incrassetur ad libidinem," ut scribit Trithemius [3]. Jejunii autem nomine cuncta macerationis genera, ut flagellatio, cilicia, vigiliæ intelliguntur. Unde cura omnia quæ Regulâ et constitutionibus ad carnem macerandam præscribuntur sedulo observes, ita cum Apostolo semper dicere possis [4]: *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte, cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* Nam, ait P. David [5]: "hostem suum armat qui carnem suam fovet deliciis ultra necessitatem debitæ sustentationis. Quod autem hosti præstas, tibi noces."

§ II. — *De cautionibus omnibus regularibus jure communi præscriptis.*

1371. — Ad incontinentiæ removenda pericula Ecclesia clausurâ communit domus religiosas tum virorum, tum mulierum. Dicemus igitur 1) de origine, 2) ratione hujus legislationis, et 3) iis quæ a religiosis postulat clausura.

1372. — 1. **De clausuræ origine.** — Jam tanta erat in priscis monachis sollicitudo de feminis vitandis, ut non solum,

(1) Lib. I *de pœn.* cap. 14, n. 76. P. L. t. 16, col. 509. — (2) *Scala Paradisi.* Grad. XIV, P. G. t. 88, col. 867. — (3) Homil. 24.— (4) I COR. IX, 27.— (5) L. c. n. 4 p. 155.

sicut optime probat Martene [1], eis monasterii sui, sed nec suum conspectum aut congressum facile concederent.

Clausura igitur prius a Regulis imposita fuit, dein ratione consuetudinis et decretorum conciliorum et Romanorum Pontificum vim juris positivi acquisivit [2], ita ut hodie clausura duplicem obligationem induxerit religiosis stricte talibus, nempe 1) non exeundi extra clausuram et 2) feminas non admittendi intra clausuram.

1373. — 2. **De clausuræ ratione.** — Clausura ex amore pudicitiæ suam ducit originem et ad illam conservandam maxime conducit. Hoc perpulchre exponit S. Chrysostomus [3]. Primo enim dicit antiquos prophetas et anachoretas innumerosque monachorum cœtus moribus angelis fuisse similes: "Etenim quâ re, ait Os Aureum, ab Angelis differebant Elias, Elisæus, Joannes, germani hi virginitatis amatores? Nullâ nisi quod mortali naturâ erant obstricti: cetera si quis accurate inquiret, nihilo iis deterius affectos inveniet, atque hoc ipsum, qua inferiores videbantur, valde ad laudem facit." Ast undenam hæc cælestis pulchritudo ut homines angelis similes videantur nisi ex castitate, prosequitur S. Doctor: "Si enim conjuges atque liberos habuissent, non tam facile deserta habitassent, nec ædes et reliquum vitæ apparatum neglexissent." Unde concludit animas castas ad virginitatem conservandam semper solitudinem elegisse. Ait enim: "Nunc iis omnibus vinculis soluti, in terrâ velut in cœlo degentes agebant, non parietibus, non tecto, non toro, non mensâ, non alio id genus ullo indigentes; quia cœlum pro tecto, humum pro toro, solitudinem pro mensâ habebant, ac quæ res aliis famis causa videatur, deserti sterilitas, ea sanctis illis abundantiam præstabat."

Ast sicut illi petebant deserta, modo religiosi petunt

(1) S. Benedicti regul. comment. c. 4. P. L. t. 66, col. 337. — (2) Cfr. P. Piatus, I, P. 3, c. 3. a. 3. Punct. 1; q. 374. — (3) Lib. *de Virg.* c. 79. P. G. t. 48, col. 591 et seq.

septa monasterii, in quibus se occludunt, ut hominum consortia eorumque aspectus devitent.

1374.— 3. **Quid clausura postulat.** — Desiderium Ecclesiæ clausuram imponentis est, Frater, ut religiosi non tantum petant seclusionem domûs, sed etiam sensuum, per jugem eorum custodiam. Unde S. Bernardus [1]: "Sede itaque, inquit, solitarius, sicut turtur. Nihil tibi et turbis, nihil cum multitudine ceterorum; etiamque ipsum obliviscere populum tuum, et domum patris tui, et concupiscet rex decorem tuum [2]. O sancta anima, sola esto, ut soli omnium serves teipsam, quem ex omnibus tibi elegisti. Fuge publicum, fuge et ipsos domesticos; recede ab amicis et intimis, etiam et ab illo qui tibi ministrat. An nescis te verecundum habere sponsum, et qui nequaquam suam velit tibi indulgere præsentiam præsentibus ceteris! Secede ergo, sed mente, non corpore; sed intentione, sed devotione, sed spiritu. Spiritus enim ante faciem tuam Christus Dominus spiritûsque requirit, non corporis solitudinem."

§ III.— *De cautionibus a Regulâ Franciscanâ præscriptis.*

1375. — Etsi castitas ipsa religiosorum, ut ait Seraphicus Doctor, [3], non habet gradus, multi tamen sunt gradus disciplinæ ejus honestatem inviolabiliter observandi, et ita in Regulâ [4] S. Pater tres præscribit cautiones sub gravi obligantes, nempe *a)* ne Fratres habeant suspecta consortia vel consilia mulierum,

b) Ne ingrediantur monasteria Monacharum sine licentiâ speciali S. Sedis. [5]

---

(1) Serm. 40, *in Cantic.* n. 4. P. L. t. 183, col 983.- - (2) Ps. XLIV, 11, 12.— (3) Expos. Reg. cap. I, n. 9.— (4) Cap. XI.

(5) NOTA: In Regulâ agitur de domibus in quibus Moniales stricte tales morantur. Constitutiones quoad hæc monasteria adeunda requirunt *a)* ut nullus religiosus ea adeat absque Ministri Provincialis

c) Nec fiant compatres, i. e. patres spirituales virorum vel mulierum, compaternitate quæ oritur sive ex baptismo, sive ex confirmatione. [1]

Hic in specie agemus tantummodo de suspecto consortio mulierum et inquiremus 1) quid sit, et 2) quam periculosa feminarum familiaritas, et 3) quam assidue fugienda; 4) unde clare tibi apparebit ratio cur suspectum consortium tam graviter prohibeatur.

1376.—1. Quid est consortium suspectum.—Nomine *suspecti consortii* S. Pater intelligit colloquia cum personis alterius sexûs, quæ vel ipsos Fratres ad peccatum allicere, vel in aliis sinistras suspiciones excitare possunt. Nomine autem *suspecti consilii* veniunt negotiorum tractationes, quæ contingunt, si Fratres sine necessitate et sine rationabili causâ, vel negotia mulierum ad se non spectantia suscipiunt, vel ad sua propria negotia perficienda consilio et operâ mulierum utuntur. [2]

CIRCUMSTANTIAS quæ consortium vel consilium mulierum suspectum reddunt sic describit Seraphicus Doctor [3]: "Suspectum consortium est non solum mulieris suspectæ, imo cum omni muliere, ubi locus et tempus, gestus et aspectus, et alia laudabilia indicia suspicionem probabiliter non excludunt. Quod si *locus* quæratur pro mulierum colloquio *solitarius* aut *obscurus*, et *tempus vel nocturnum* vel alias opportunum. Si *gestus* sit *dissolutus*, utpote ex nimiâ ad mulierem propinquitate, vel faciali ad eam conversione,

licentiâ et insuper ut accessus fiat juxta canonicas normas et Diœceseon legitimas consuetudines. (Const. n. 206.) Quoad pias domus, in quibus Sorores votorum simplicium degunt, non Regula sed Constitutiones præscribunt ut *toties quoties* petatur licentia Superioris localis.

(1) P. PIATUS, t. I, pars. III, cap. 2, punct. 2. q. 294.— (2) Ita P. Piatus, ibid. q. 292. Plerique tamen expositores, ait, non distinguunt inter utrumque verbum.— (3) Expos. Reg. c. 11. n. 2.

fixis oculis, manibus junctis; omne tale consortium est suspectum. Unde suspecta sunt consortia et colloquia, prædictis circumstantiis concurrentibus; item, si *solitaria* sint, excluso aliorum auditu, licet non visu, ex intentione, sine causâ piâ, maxime si sint solitarie prolongata, aut cum eâdem personâ sine ratione evidenti frequentatâ, suspecta sunt colloquia."

NOTANDUM EST, Frater, non solum inter præsentes, sed etiam inter absentes haberi posse consortium vel consilium suspectum, si nempe frequenter amicitiæ testimonia nuntiorum ope transmittuntur, vel litteræ nimis dulces vel nimis frequentes mittuntur, vel crebra dona sive munuscula deferuntur. [1]

1377.—2. **Quam periculosa est feminarum familiaritas.**— Primum contra luxuriam remedium est, ait P. David [2]: "ut vir feminarum et femina virorum incautam familiaritatem devitet." Et merito quidem: *de vestimentis enim*, ut loquitur Ecclesiasticus [3], *procedit tinea, et a muliere iniquitas viri.* Et prælaudatus auctor [4] hæc memoranda habet verba: "Quamdiu vitalis calor vivit in corpore, nemo præsumat, ignem concupiscentiæ in se penitus exstinctum esse. Et sæpe carbo videtur exstinctus, modicâ favillâ opertus, sed si tangitur, comburit. Diabolus igitur, cum duos carbones coadunaverit, afflat, donec eos incendat; Job [5]: *Halitus ejus prunas ardere facit;* Carbo, si solus relinquitur, exstinguitur; si componitur alteri, ex mutuo calore incenduntur ambo; et sæpe spiritu inceptus amor consummatur carne." [6]

1378.—3. **Familiaritas feminarum ut periculosa fugienda est.**—Adversus omnes carnis impressiones nullum efficacius adhiberi potest remedium quam fuga mulierum. Ita

(1) Ita P. Piatus l. c. resp. 5.— (2) L. c. n. 1. p. 151.— (3) XLII, 13. — (4) L. c. p. 152.— (5) XLI, 12.— (6) Cfr. GAL. III, 3.

S. Cæsarius [1]: Contra libidinis impetum "apprehende fugam, si vis obtinere victoriam. Nec sit tibi verecundum fugere, si castitatis palmam desideras obtinere. Videte, fratres, quomodo ab omnibus christianis, præcipue tamen a monachis seu clericis indigna et inhonesta familiaritas fugienda est: quia sine ullâ dubitatione qui familiaritatem vitare non vult mulierum, cito dilabitur in ruinam." Et paulo ante: "Quod autem libidinem fugiendam esse diximus, apostolo doctore evidenter didicimus: qui cum omnibus vitiis resistendum prædixerit, contra libidinem non ait: Resistite; sed dixit: *Fugite fornicationem* [2]. Ac sic contra reliqua vitia, Deo auxiliante, debemus in præsenti resistere; libidinem vero fugiendo superare. Sic et alibi in Scripturis legimus: *Noli*, inquit, *in faciem virginis attendere, ne te scandalizet vultus ejus* [3]."

4. **Finis cur præceptum detur.** — Ex duplici fine S. Pater præceptum jam declaratum tulit, nempe: 1. ad removenda pericula quæ ipsi Fratres ex incautâ cum mulieribus conversatione incurrunt, et dein 2) ad præcavenda scandala quæ aut personæ, cum quâ conversatio habetur, vel aliis Fratribus aut sæcularibus eam observantibus dari possunt.

NOTANDUM. — Quamquam in Regulâ prohibentur tantum consortia mulierum, communiter tamen expositores docent, ait P. Piatus [4], etiam prohiberi consortia suspecta virorum, maxime puerorum.

CONCLUSIO. — Cum votum castitatis ordinetur ad solitudinem cordis obtinendam, ita ut in corde religiosi solum vigeat amor Christi, intentio placendi ipsi soli et cogitatio de ipso, aut de his quæ ad ipsius gloriam conducunt, rogote, carissime Frater, ut moniti præclari Magistri spiritualis,

(1) Serm. 293 in append. Serm. S. August. P. L. t. 39, col. 2301. — (2) I COR. VI, 18. — (3) ECCLI. IX, 5. cfr. etiam Cassianus L. VI Inst. cap. 3, P. L. t. 49, col. 270 et S. Bernardus, Serm. 65 *in Cant.* P. L. t. 183, col. 1092. — (4) L. c. q. 291. in nota.

David ab Augusta [1], semper memor sis, et cor tuum quovis de prætextu etiam pietatis et amicitiæ a quâvis familiaritate sive feminarum, sive virorum, sive etiam confratrum avertas. Nam, ait: " Astutus diabolus in principio incautæ familiaritatis occultat laqueos tentationis carnalis, reputans, quod desisterent a mutuâ dilectione, si sentirent inde stimulos peccati, donec per longam familiaritatem et incautam securitatem affectus amborum ita conflati et conglutinati fuerint in amore, quod, etiamsi sentiant sibi inde imminere tentationis periculum, nesciant resilire nec ab invicem separari, viribus spiritualibus ita debilitatis in eis, quod neuter valet sibimet vim facere tantam, ut evellat se de laqueo, immo timet alterum in tantum contristare, quod etiam reputat se perfidum, si deserat eum; et sic captus, consentit alterius voluntati et propriæ infirmitati in omne peccatum. Sic Samson [2] fortissimus,... confidens de viribus suis, liquefactus est amore Dalilæ,... *Hæc autem* omnia *in figurâ facta sunt nostri* et *scripta ad correptionem nostram*" [3].

(1) L. c. n. 2 p. 152. — (2) Cfr. JUD. XVI, 16 sq.— (3) I COR. X, 6, 11.

SECTIO III

DE VOTO OBEDIENTIÆ.

1379. — Inter vota religionis sancta obedientia palmam tenet: "Ea potissimum religiosæ perfectionis est virtus, ait Schema Concilii Vaticani [1], ut qui statum regularem amplectuntur, præter temporalium bonorum renuntiationem, et castitatis professionem, abnegare semetipsos ac *perpetuum propriæ voluntatis holocaustum* Deo offerre teneantur. Nil igitur magis ad instaurandam servandamque regularem disciplinam conducit, quam *accurata et fidelis religiosæ obedientiæ observatio;* quandoquidem ipsa ceteras virtutes menti inserit, insertasque custodit [2]. Magna quidem *paupertas*, sed major *integritas;* horum autem est *obedientia* maxima, si custodiatur illæsa; nam prima rebus, secunda carni, tertia vero menti dominatur et animo [3]. Hinc si *obedientiæ votum* negligatur, religiosorum corda velut terra sine aquâ arescunt, nec ipsi amplius humilitate, oratione, meditatione delectantur; quinimo religiosæ familiæ compago disrumpitur."

Sicut omnia perturbantur si musici suo directori, milites suo duci, remiges suo gubernatori obedire recusant; sic, ait S. Chrysostomus [4], semotâ obedientiâ, omnem societatem civilem, domesticam et religiosam perturbari atque everti necesse est.

Nil mirum igitur si præ ceteris excellentia hujus virtutis a viris sanctis non satis potest efferri: "Quapropter, prosequitur præcitatum Schema, Sacrosanctæ Tridentinæ Synodi decretis inhærentes, omnibus regularibus præcipimus, ut...

(1) Schema Const. sup. voto obedient.— (2) S. Greg. l. 35 *Moral.* c. 14. P. L. t. 76, col. 765. — (3) Joann. XXII, Extravag. "*Quorumdam*" I, de verb. signif.— (4) Homil. 34 in Epist. ad Hebr. cap. XIII, 17. P. G. t. 63, col. 231.

perfectæ præsertim obedientiæ animo volenti mancipentur, crucifixum Christum Dominum intuentes, qui *factus obediens usque ad mortem*, nedum nobis dedit hujus virtutis præceptum, sed magnum quoque in se Ipso, quod imitaremur, reliquit exemplum. Et quoniam *omnis potestas a Deo est*, Regulares omnes *in suis Superioribus Deum Ipsum agnoscant*, ac meminerint, non solum ordinationi Dei resistere, qui potestati resistit, verum etiam sese peculiari obligatione teneri vi voti, quod in religiosâ professione emittendâ Deo nuncupant. Quamobrem debitâ *reverentiâ* et *amore suos omnes Superiores prosequantur*, et quæ ipsi juxta Regulam injungunt, integre, prompte et humiliter sine ullâ excusatione perficiant. Eos insuper hortamur, ut ad assequendam hujus eximiæ virtutis perfectionem, quæ est quodammodo "mater omnium custosque virtutum" [1], toto pectore incumbant; nec non a *nequam hujus sæculi spiritu*, qui est crucis Christi omnisque auctoritatis ac subjectionis inimicus, sibi maxime caveant, seque undique tueantur.

Cum obedientiæ votum omnium sit præstantissimum, facile intelliges, Frater, ad hujus virtutis perfectionem multo etiam graviora et difficiliora requiri, quam ad aliorum votorum perfectionem. Continet enim plenam et perfectam totius hominis atque maxime spiritualis partis subjectionem atque abnegationem, ita ut homo propriam voluntatem et propriam opinandi atque sentiendi libertatem, Dei causâ relinquat, iisque sese prorsus abdicet.

Quapropter nihil fragilitati humanæ communius, quam *contra hujus virtutis perfectionem* in defectus quosdam et imperfectiones impingere: nihilominus peccata proprie dicta, eaque *gravia contra votum* obedientiæ non ita facile committuntur, imo hæc rarius accidunt quam aliorum votorum pericula.

Ad obligationes religiosorum quoad votum obedientiæ rite stabiliendas duo semper sunt attendenda: potestas Superio-

(1) S. AUGUST. *de Civ. Dei*, l, 14, c. 12, P. L. t. 41, col. 420.

rum et subjectio seu obedientia inferiorum. Unde duo capita, unum de potestate Superiorum, alterum vero de obedientiâ inferiorum.

CAPUT I.

DE POTESTATE SUPERIORUM.

1380.— Nulla humana societas sine gubernio diu consistere potest. Ubicumque plures, etiam liberâ voluntate ad determinatum assequendum finem sunt congregati, Superiores inveniantur et inferiores oportet: superiores potestate gaudentes societatis membris imperandi, ut facilius ac securius ad præfixum finem adducantur; inferiores vero qui superiorum jussis obtemperare seu obedire tenentur. Inquirendum hic est 1) De origine potestatis dominandi in genere, 2) de potestate quâ pollent Superiores Ordinum religiosorum et 3) de eorum obligationibus.

ART. I.— De origine potestatis in genere.

1381.— Superior cui potestas imperandi competit, est vel ipse Deus, vel alia creatura rationalis. Unde potestas imperandi alia est divina, alia humana, et hæc est vel ecclesiastica vel politica, vel domestica, et sic invenitur quadruplex potestas imperandi.

His potestatibus potest vinculum voti vel juramenti supervenire, ita ut tenearis obedire non solum lege obedientiæ, sed etiam ex voto vel jurejurando [1]. Ast 1) omnis potestas humana a Deo est, et 2) omnis modus ad potestatem perveniendi et in eo permanendi ab Eo ordinatur.

(1) LESSIUS. *De Justitiâ.* L. 2, c. 46, n. 25.

§ I.— *Omnis potestas humana a Deo est.*

1382.— Omnis potestas humana a Deo provenit; *a)* potestas ecclesiastica per positivam Dei ordinationem, *b)* potestas politica et *c)* potestas domestica per naturalem rerum institutionem.

A) **Potestas ecclesiastica a Deo est per ejusdem positivam ordinationem.**—Plenitudinem potestatis supernaturalis Christus Petro contulit dicens [1]: *Et tibi dabo claves regni cœlorum; et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis.* Sicut victoribus traduntur claves urbis captæ in subjectionis signum, sic formula "dare claves regni," symbolice a Christo adhibita est ad potestatem significandam cui quotquot sunt regni dominici cives, ipsis etiam apostolis non exclusis, Petro subjiciuntur. Et merito proinde S. Gregorius M. [2] ad Mauritium imperatorem scribere potuit: "Cunctis Evangelium scientibus liquet quod voce dominicâ sancto et omnium apostolorum Petro principi apostolo, totius Ecclesiæ cura commissa est. Ipsi dicitur: *Tu es Petrus*... Et *tibi dabo claves regni cœlorum* [3], etc. Ecce claves regni cœlestis accepit, potestas ei ligandi ac solvendi tribuitur, cura ei totius Ecclesiæ et principatus committitur."

B) **Potestas politica a Deo derivatur per naturalem institutionem rerum.**— "Hoc ipso enim, ait Lessius [4], quo fecit singulos homines sui juris, et dedit inclinationem ad vitam communem et politicam, censetur etiam dedisse communitati, quæ ex singulis illis junctis conflatur, potestatem regendi sui, et singula sua membra. Nam naturaliter ex potestate singulorum sic in societatem vitæ coeuntium resultat potestas communitatis: a communitate autem ulterius

(1) MATTH. XVI, 19.— (2) L. 5, epist. 20, P. L. t. 77, col. 745 et seq. — (3) MATTH. XVI, 18, 19.— (4) *De justitia* Lib. 2, cap. 46, dub. 4, n. 25.

per commissionem derivatur ad reges et principes; ab his ad officiales inferiores. Hoc sensu dicitur potestas politica esse a Deo; non quod potestas principum aut etiam reipublicæ sit ex immediatâ Dei commissione sicut potestas Summi Pontificis, sed ratione institutionis naturæ socialis, conficientis unum corpus politicum."

C) **Potestas domestica etiam a Deo est per naturalem rerum institutionem.**— Similiter potestas patris in filium et mariti in uxorem est a Deo, mediante institutione, quâ instituit procreationem liberorum et conjugium maris et feminæ. Potestas autem domini in servum est a Deo, mediante auctoritate Reipublicæ, quâ servitus et herilis potestas instituta; vel interveniente cessione, cum quis libertatem suam sponte in jus alterius transfert, se illi servum constituendo [1].

Unde cum S. Paulo [2] concludere possumus: *Non est enim potestas nisi a Deo: quæ autem sunt* (scilicet potestates) *a Deo ordinatæ sunt.*

Objectio. — Forte dices, Frater, "quid ergo? Et illa potestas quæ servos Dei prosequitur, fidem impugnat, religionem subvertit, a Deo est? Ad hoc breviter respondebimus, ait Origenes [3]. Nemo est qui nesciat quod et visus nobis a Deo donatus est, et auditus et sensus. Cum ergo a Deo habeamus hæc, in potestate tamen nostrâ est ut visu vel ad bona vel ad mala utamur; similiter et auditu, et motu manuum, et cogitatione sensûs: et in hoc est justum judicium Dei quod his quæ ille ad usus bonos dedit, nos abutimur ad impia et iniqua ministeria. Ita ergo et potestas omnis a Deo data est *ad vindictam quidem malorum, laudem vero bonorum* [4]."

Non solum omnis potestas a Deo est sed

---

(1) LESSIUS, l. c.— (2) ROM. XIII, 1.— (3) *Comment. in Epist. ad Romanos* lib. IX, n. 26. P. G. t. 14, col. 1226 et seq.— (4) I PETR II, 14.

§ II. — *Omnis modus ad potestatem perveniendi et in eâ permanendi a Deo ordinatur.*

1383.— Hanc veritatem apprime docet S. Bonaventura [1]: "Quidam, ait, præsunt aliis ex *justitiâ*, quidam ex *astutiâ*, et quidam ex *violentiâ*. Quando autem præest aliquis aliis per *justitiam*, tunc illa potestas dominandi, simpliciter loquendo, a Deo est et respectu præsidentis et respectu subjacentium. Quando autem præest aliquis per *astutiam* vel per *violentiam*, tunc dicendum est, quod talis potestas et habet comparari ad voluntatem *præsidentis*, et habet comparari ad meritum *subjacientis*."

QUOAD PRÆSIDENTEM hæc potestas "injusta est... Sic dicitur esse a Deo *permissive*, non autem *approbatorie*, propter quod dicitur [2]: *Ipsi regnaverunt, et non ex me, et principes exstiterunt, et non cognovi.*"

QUOAD SUBDITOS autem: "talis præsidentia justa est, quia aut est ad bonorum probationem, aut ad malorum punitionem, et dicitur esse a Deo *faciente* et ordinante, secundum quod dicitur Job trigesimo quarto [3]: *Facit regnare hypocritam propter peccata populi*; et Oseæ decimo tertio [4]: *Dabo eis regem in furore meo* [5]."

Unde de omni potestate affirmare possumus quod Dominus de Pilato affirmat [6]: *Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper.*

Sed ultro investigandum de auctoritate quâ pollent Superiores Ordinum religiosorum.

(1) 2 Sent. D. 44, a. 2, q. 1 c. Op. t. 2. p. 1005.— (2) OSEÆ, VIII, 4.— (3) Vers. 30.— (4) Vers. 11.— (5) S. BONAV l. c. p. 1006.— (6) JOANN. XIX, 11.

Art. II. — De potestate quâ pollent Superiores Ordinum religiosorum.

1384. — Superiores Ordinum religiosorum gaudere possunt triplici potestate in subditos, *domesticâ* nempe, cui etiam subjacent novitii et famuli,[1] *dominativâ*, quâ Superior nomine Dei et religiosi Ordinis jubet; et *jurisdictionis*, quâ Superior ut prælatus *ecclesiasticus* potitur, quum quasi-episcopalem potestatem exerceat. Sed cum relate ad religiosum potestas domestica quodammodo absorbeatur a potestate dominativâ, hic tantum circa duas ultimas sermo est instituendus.

§ I. — *De potestate dominativâ.*

1385. — **Quid est?** — Potestas dominativa est "jus acquisitum religioni, et prælatis ejus ad imperandum religiosis, et utendum operibus eorum, prout conveniens judicaverint[2]." Inquirendum igitur est: 1) Unde hæc potestas proveniat, 2) quomodo constituatur et 3) exerceatur: 4) undenam a potestate jurisdictionis distinguatur, 5) quomodo mensuretur et demum 6) quodnam sit hujus potestatis objectum.

1. **Unde provenit?** — Hodie vita cœnobitica, uti vidimus[3], omnibus imponitur religiosis. Agedum fidelis sese Ordini vel instituto determinato et ab Ecclesiâ approbato tradendo sui juris non manet, sed sub dominio Ordinis vel instituti incorporatur tanquam verum et legitimum membrum[4].

(1) Hæc potestas vocatur *domestica* et *paterna*. *Domestica* quia est ordinis privati et fundatur in aliquo facto domestico, in aliqua voluntate privatorum et quia hæc potestas in qualibet domo vel familiâ requiritur; *Paterna* quia similis est potestati quam pater in filium exercet.

(2) Suarez tract 7, L. 2, c. 18, n. 5. — (3) Cfr. n. 1222. — (4) Cfr. n 1119.

Ast ubicumque cœtus hominum ad communem finem assequendum sunt congregati, hæc potestas sponte suâ exsurgat omnino necesse est, sicut supra jam notavimus : impossibile quippe est ut societas sine aliquo imperio, sine aliquâ auctoritate vel administratione existat.

2. **Quomodo constituitur?** — Potestas dominativa per se pertinet ad totalitatem societatis constitutæ, sed cum hæc potestas simul per omnia membra exerceri nequeat, unum aut plura ad cetera dominanda atque regenda constituantur necessario requiritur. Etsi hæc Superiorum constitutio directe a Romano Pontifice et jure quidem ordinario perfici potest, vult tamen R. Pontifex ut saltem Moderatores Generales, et apud nos etiam Superiores omnes, juxta Regulæ et Constitutionum ordinationes, eligantur; et Superiores Generales in Ordinibus presse talibus Papa per seipsum confirmat.

3. **Quomodo exercetur?** — Hæc potestas cum per unum vel plures simul exerceri possit, triplex invenitur potestatis dominativæ seu regiminis species: singularis nempe, collegialis et mixta.

Singularis seu *monarchica* est quando Superior absolute et per se absque aliorum dependentiâ communitatem gubernat. Hæc forma a S. Patre Francisco in Regulâ stabilita est, sed mutationes subiit, ut mox dicetur.

Collegialis seu *aristocratica* est quando communitas regitur per unum, sed cum dependentiâ a consiliariis. Jam in Capitulo Generali anno 1239 habito, cui præsedit Gregorius IX, Ministro Generali additi sunt definitores, qui jam tempore S. Bonaventuræ ministris quoque Provincialibus adjuncti fuerunt [1].

Mixta seu *democratica*, quando communitas per multos a

(1) ALBERTUS a BULS. § 134.

communitate electos regitur ; uti evenit apud P. P. Carmelitas ex vi Regulæ primitivæ [1].

4. **Quomodo potestas dominativa a potestate jurisdictionis distinguitur.** — "Potestas dominativa, ait Suarez [2], non a Christo descendit per specialem donationem Ecclesiæ factam ; sed orta est radicaliter a voluntate profitentium talem regulam, et se donantium religioni cum promissione, et obligatione obediendi secundum illam." Etenim quando habetur congregatio legitime approbata, et traditio religiosorum, sponte suâ exsurgit potestas dominativa, et ideo hâc potestate gaudent omnes omnino superiores, etiam superiorissæ monialium votorum sive simplicium sive solemnium. E contra, jurisdictio, utpote potestas spiritualis, procedit a S. Pontifice, ultimatim vero ab ipso Christo, ut infra dicetur ; et invenitur in illis tantum congregationibus virorum qui sacro Presbyteratûs ordine insigniuntur et quibus S. Pontifex hanc potestatem delegavit.

5. **Quomodo potestas dominativa mensuratur.** — Potestas dominativa non sese extendit ad omnem rem possibilem, sed unice ad finem instituti et ad media ad hunc finem necessaria. Una enim cum traditione, religiosus votum emittit obedientiæ, quod ulterius dictat mensuram et amplitudinem potestatis dominativæ. ut ex infra dicendis appare bit.

6. **Quodnam est objectum potestatis dominativæ.**—Superior potestate dominativâ præditus eo ipso duplici officio fungi tenetur, rectoris nempe et patris.

A) ***Ut rector.*** — 1) Per se vel per alios administrat bona et res œconomicas religionis vel instituti, 2) Regulæ et constitutionum urget executionem, 3) Subditis suis imponere potest vera præcepta in conscientiâ obligantia, 4) In virtute seu in vi obedientiæ jubere potest. Sed hæc præci-

(1) P. PIATUS, Pars. IV, c. 2. art. 1. q. 618. — (2) L. c.

piendi facultas non est absolutissima, ut infra dicetur. 5) Ad bonum communitatis procurandum cum subditis emittere valet votum, v. g. processionem instituendi, etc. 6) Habet forum domesticum ad quod recurrere possunt subditi ad denuntiationem canonicam faciendam.

NOTANDUM. — Denuntiatio est actus quo quis judici defert crimen, ut ipse pro suo debito et providentiâ invigilet et consulat bono publico. Differt igitur denuntiatio ab accusatione: nam qui accusat, suscipit in se onus probandi.

Triplex autem invenitur denuntiatio: *evangelica, canonica et judicialis. Evangelica* seu christiana, quâ denuntiator intendit solum bonum fratris denuntiati et ideo recurrit ad Superiorem, ut ad patrem, ut subdito consulat. Hæc ut in conscientiâ et sub gravi obliget, quatuor requiruntur conditiones *a)* ut materia sit gravis; *b)* ut adsit spes emendationis; *c)* ut sine magno corripientis incommodo fieri possit; *d)* ut vere adsit proximi necessitas spiritualis. Unde si delinquens sese emendaverit, denuntiatio superflua est. In hâc denuntiatione tamen ordo caritatis a Christo præscriptus observandus est. Unde priusquam quis denuntiatur Superiori ut patri, correptio *a)* fiat secreto ipsi reo; *b)* si hæc frustra adhibita fuerit, fiat coram uno vel altero teste privato. Excipiendus est casus quo delinquentis emendatio aliter obtineri non potest, vel saltem facilius et efficacius obtinetur, vel si peccatum est publicum, nam in hoc casu corripiendus eo ipso jam amisit famam.

Canonica, quâ denuntians recurrit ad Superiorem vel judicem, non ut puniat, nec intendens vindictam, sed ut ipse pro munere suo impediat damnum commune ex delicto imminens, vel alicujus privati v. g. manifestando furtum Petri qui res Pauli injuste abstulit. Hæc denuntiatio *a) fieri potest* quando quis, rectâ intentione ductus, et omnibus adjunctis rite perspectis, denuntiationem videt esse optimum medium ad bonum communitatis vel tertii innocentis procurandum, etiamsi correctio fraterna non præmittitur. Nam in talibus

casibus nulla est spes proficiendi, et aliunde maximum est periculum ne ille simulet se emendatum et tamen in suo crimine perseveret; — *b) fieri debet* quando denuntiatio est unicum medium ad impediendum damnum communitatis vel innocentis; — *omitti debet* si ex denuntiatione majora mala merito sunt timenda.

Judicialis quâ defertur crimen judici, ut ipse ex suo munere puniat delinquentem, quem tamen denuntians non vult accusare, sed id totum relinquit judicis curæ, ut ipse suo muneri satisfaciat. Hæc spectat ad potestatem jurisdictionis [1].

B) ***Ut pater.*** — Sollicitam curam gerere tenetur de singulorum utilitate. Quare Seraphica Regula [2] dicit: "Fratres, qui sunt Ministri, et servi aliorum Fratrum, *visitent, et moneant* Fratres suos, et humiliter et caritative corrigant eos."

2) Recipere potest denuntiationem evangelicam de quâ supra. 3) si Superior est sacerdos, *informationem conscientiæ* subditorum recipere potest. Si vero sacerdos non est, eam ultra terminos a Decreto "Quemadmodum" 17 Dec. 1890 positos, exigere nequit.

§ II. — *De potestate jurisdictionis.*

1386. — Jurisdictio, a jure dicendo, sive sententia secundum æquitatem, jurisque regulas ferenda, tanquam præcipuo publicæ potestatis officio dicta fuit, et definiri potest: potestas publica, circa aliorum regimen seu gubernationem. Dicitur potestas publica, ad excludendam potestatem dominativam; hæc enim non est jurisdictio proprie dicta, cum magis ad domesticam, seu œconomicam ac privatam quam ad publicam gubernationem spectet.

Jurisdictio dividitur in ordinariam et delegatam. *Ordinaria* dicitur ea, quæ cuipiam jure proprio, seu ratione officii,

(1) Cfr. De Lugo. *De just. et jure*. D. 37, S. 7. n. 70. — (2) Cap. X.

aut dignitatis suæ, ex lege, canone vel consuetudine competit. *Delegata* e contra est, quam quis non habet jure proprio (h. e. non ratione officii, aut dignitatis a lege, canone vel consuetudine sibi delatam), sed solum ex commissione alterius, cujus vice fungitur.

Jurisdictio humana dividitur primum in *ecclesiasticam et civilem*. *Ecclesiastica* est quæ circa causas ad Dei cultum spiritualemque animarum salutem pertinentes versatur, *civilis*, quæ causas sæculares et profanas respicit.

Jurisdictio ecclesiastica, ratione amplitudinis suæ dividitur in jurisdictionem externi et interni fori.

Jurisdictio *fori externi* ea est quæ immediate ordinatur ad publicum societatis christianæ regimen; *fori interni*, quæ immediate ad privatam cujuslibet fidelis utilitatem ordinatur. Hæc utiliter subdistingui potest in jurisdictionem fori interni *pœnitentialis* et jurisdictionem fori interni *extra-pœnitentialis*. Prior in usum deduci nequit, nisi in ipso actu sacramentalis confessionis; posterior etiam extra confessionem sacramentalem exerceri potest, ex. gr. tollendo censuram vel dispensando in voto cum effectu qui tantum in foro interno obtineat [1].

De potestate jurisdictionis inquiremus 1) unde proveniat, 2) quomodo constituatur, 3) quomodo exerceatur, et 4) mensuretur, et demum 5) quodnam sit ejusdem objectum.

1.— **Unde provenit?**—Summo Pontifici in personâ B. Petri injunctum est munus pascendi gregem Christi. Unde Romanus Pontifex jurisdictionem habet immediatam "erga quam cujuscumque ritûs et dignitatis pastores et fideles, tam seorsum singuli, quam simul omnes, officio hierarchicæ subordinationis veræque obedientiæ obstringuntur [2]." "Quum autem Regularium exemptio ab Episcopi jurisdictione statuta fuerit, et sic solius R. Pontificis jurisdictioni

(1) Cfr. Reiffenstuel, l. 1 Decret. tit. 29, § 1, Génicot, t. II, n. 324.— (2) Bull. *Pastor Æternus*" cap. 3.

immediate subjecti fuerint, necessarium fuit, ut eorum Superiores in illos jurisdictionem haberent, tam quoad forum internum, quam quoad forum externum; non enim convenienter poterant per solum R. Pontificem immediate gubernari [1]." Unde jurisdictio quâ fruuntur Superiores regulares, uti jam supra notavimus, procedit a S. Pontifice, ultimatim vero ab ipso Christo,

2) **Quomodo constituitur?**—Potestas jurisdictionis in Ordinibus exemptis a Romano Pontifice conceditur eo ipso quod Superiores legitime sunt constituti [2].

3) **Quomodo exercetur?**—Jurisdictio in Ordinibus religiosorum exercetur per prælatos proprie dictos. Prælati autem proprie dicuntur Superiores qui ordinariam habent jurisdictionem in utroque foro.

Hierarchica Prælatorum constitutio triplicem habet gradum. Habetur enim prælatus supremus (Generalis), medius (Provincialis), et infimus (Guardianus, Rector, Prior). Hi tres gradus in hoc conveniunt quod immediatam habent jurisdictionem in subditos; in hoc vero differunt quod eadem non est eorum jurisdictionis amplitudo.

4.—**Quomodo mensuratur?**—Jurisdictio ordinaria, quâ fruuntur prælati regulares, est ad instar episcopalis, i. e. tanta, quanta in subditos habent episcopi [3]. Quoad hanc potestatem consulendi sunt canonistæ [4], præscripta Regulæ et constitutionum. Nam, ut merito Suarez [5] animadvertit, jurisdictio Prælati regularis sese non extendit ad omnes actus, quos episcopalis jurisdictio potest elicere; idque maxime locum habet in Prælatis conventualibus, qui jurisdictionem habent magis limitatam.

5.—**De objecto potestatis jurisdictionis.**—Cum potestas jurisdictionis utriusque sit fori, *a)* alia spectant ad forum

(1) P. Piatus, P. IV, c. II, a. 3, p. 1. q. 735.—(2) Cfr. P. Piatus, l. c. q. 736.—(3) Cfr. P. Piatus, ibid. q. 737, R. 3°—(4) Cfr. P. Piatus, ibid. —(5) *De relig.* Tr. 8, L. 2, cap. 2, n. 14.

internum, *b)* alia quadamtenus ad utrumque forum, alia *c)* demum ad forum externum.

a) Ad forum internum pertinent:— 1) Deputatio confessariorum in Ordine, 2) reservatio casuum.

b) Quadamtenus ad utrumque spectant:— 1) Potestas absolvendi a censuris, 2) potestas dispensandi ab aliis pœnis, 3) potestas dispensandi ab irregularitatibus, 4) potestas gratiosa in universum, id est potestas cum singulis subditis dispensandi a legibus Ecclesiæ, in votis non reservatis, sine læsione juris tertii, et in regulâ, exceptis tamen votis substantialibus Religionis, et apud nos etiam in præceptis aliquibus. 5) Potestas benedicendi ad usum tantum suorum, solemni benedictione, ecclesias, oratoria, paramenta et ornamenta.

c) Ad forum externum spectant:— 1) Potestas condendi leges. Hæc potestas apud nos unice spectat ad Capitulum Generale. 2) Potestas judiciaria et coercitio. Sed hæc omnia proprie spectant ad jus canonicum [1].

ART. III. — De obligationibus Superiorum Ordinum religiosorum.

1387.— Superiores, etsi locum Dei teneant et auctoritate imperandi præditi sint, libertate absolutâ minime gaudent. S. Benedictus de officio abbatis agens ait: "Cogitet semper quale onus suscepit, sciatque sibi oportere prodesse magis quam præesse [2]." Hildemarus [3] dicit: "Sciendum est enim quia non dicit honor, sed onus, id est pondus, et bene pondus dicit illum suscepisse, et non honorem, quia hoc pondus suscipit, non ut honoretur suscipere illud debet, sed

(1) Cfr. Vermeersch, t. I, n. 415 etc. P. Piatus, l. c. punct. 3, seq. q. 752 ad 783.– (2) Reg. S. Bened. cap. 64, P. L. t. 66, col. 881.— (3) Inh. l. Reg. S. Bened. apud Martene, P. L. t. 66, col. 886.

ut laboret, et aliis proficiat." Quare Constitutiones nostræ [1] aiunt: "Christiani Prælati esse non debent sicut gentilium principes, qui in dignitatibus se extollunt [2], quin potius, quo gravius super humeros suos onus sustinent, eo magis sese deprimere ac recogitare, ubi ceteri Fratres suo Prælato obedire debent, sibi quodammodo omnibus Fratribus obediendum esse... exemplo Christi, qui servire et ministrare venit ac ponere animam suam pro nobis [3]."

Quare Seraphicus Pater ait quod Ministri sunt "servi omnium fratrum" [4] et vult ut "tantam familiaritatem habeant circa ipsos ut dicere possint eis et facere sicut domini servis suis." Immo ut de prælatione glorientur omnes Superiores ut si sint, sicut jam antea diximus [5], "in abluendi fratrum pedes officio deputati."

Quid autem in specie Superioribus incumbit docent theologi; nobis sufficit ut hic notemus quid tanquam pastores animarum præstare obligentur. 1) Nempe caritatem et 2) spiritum Fundatoris fovere; 3) observantiam Regulæ et constitutionum urgere, et 4) subditis invigilare; demum 5) bonum exemplum eis præstare.

1388. — 1. Quoad caritatem fovendam. — Primum Superioris officium est summopere in Ordine vel communitate caritatem fovere. "Tum quia ipsa est sanitas corporis socialis, sine quâ omnis vita, omnis labor communis languescit: tum maxime, quia universa hæc vita religiosa aspirat ad perfectionem, id est, ad plenitudinem caritatis. *Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere* [6]."

Urgere tenentur ergo Superiores executionem mandati Domini: *ut qui diligit Deum, diligat et fratrem* [7]; unde "in

(1) Const. O. M. C. n. 123. — (2) MATTH. XX, 25, LUC. XXII, 25. — (3) MATTH. XX, 28; PHILIP. II, 7. — (4) Reg. cap. X. — (5) Cfr. S. F. *Admonitiones*. Opuscula (Ad Clarus Aquas) p. 8. — (6) I JOANN. IV, 20 — P. STEIGER, cap. XIII, art. 4. § 1. — (7) I JOANN. IV, 21.

seminatores discordiarum ut in falsos delatores exemplum faciant; vitam communem, quoad fieri potest, ab omnibus exigant; infirmos paterno amore complectantur, hisce enim præsidiis virescit fraterna caritas [1]."

2. **Quoad spiritum fundatoris fovendum.** — Non sufficit ut Superiores subditos modo generali ad perfectionem vitæ christianæ stimulent: unaquæque enim Religio habet finem peculiarem a fundatore præfixum et attingendum per media apta et determinata, et ut talia ab Ecclesiâ approbata. Unde

3. **Quoad observantiam Regulæ et constitutionum.**— Superiores tenentur media ab ipsis præscriptis urgere juxta mentem fundatoris et leges ecclesiasticas. Sciendum est enim omnia in Regulâ et Constitutionibus præscripta non eamdem habere vim obligationis: *a)* alia enim sunt de necessitate salutis, seu obligant sub peccato mortali; *b)* alia in Ordine statuta sunt ad exercitium bonorum operum; *c)* alia demum sunt ad exercitium altioris perfectionis.

a) Quoad ea quæ sunt de necessitate salutis, "quæ, ut Seraphicus Doctor ait [2], ita annexa sunt Ordini et Regulæ, ut eorum transgressio temeraria inducat mortale peccatum, ut est obedientia præcepti, voluntaria paupertas, castitas et alia præceptorie imperata, in quibus locum non habet dispensatio Magistri, cum et ipse sit ad ea servanda ligatus. Hæc necesse est prælatum vigilanter agnoscere, quia tenetur ea facere ab omnibus studiose servari et nolentes cogere ad servandum... etiamsi magna propter hoc sibi et fratribus tribulatio seu dispendium immineret... *Melius est, ibi non esse religiosos, ubi non possunt, vel volunt vivere ut religiosi,* quia tunc nec ipsi pereunt, nec alii de ipsis scandalizantur."

b) Quoad ea quæ ad exercitium bonorum operum sunt statuta, ut sunt ea omnia in quibus Prælati dispensare possunt, non modicâ opus est discretione. Oportet enim, ait S. Bona-

(1) P. STEIGER, l. c.— (2) *Sex alæ Seraphim.* c. 6. n. 5.

ventura, [1] "ut sciat inter rigorem et remissionem medium tenere." Nam, ut docent theologi [2], Superiores "in articulis... quæ forte sub gravi obligent, absque proportionatâ causâ, quin graviter peccent, dispensare nequeunt. Imo vel in levioribus, ita passim nequeunt, ut inde disciplina generalis relaxetur."

c) Quoad exercitium altioris perfectionis, nempe virtutes heroicas, "ad illas debet rector, ait S. Bonaventura [3], commissos exhortationibus, monitis et exemplis efficacibus afficere et attrahere magis quam invitos cogere. Consilia enim perfectionis suadentur, non imperantur... Præcipua tamen causa monasticæ institutionis fuit, ut esset schola palæstralis exercitii perfectionis."

4. **Quoad invigilantiam circa inferiorum conversationem.** — Superior habere debet zelum justitiæ, "qua non potest aliquid injustum sine cordis murmure in se et in aliis sustinere [4]." Unde, si opus fuerit, tanquam *pater*, subditos corrigere et emendare tenetur. Imo ut *judex* eos inquirere et pro naturâ delicti punire [5]. "Prælatus enim, ait Seraphicus Doctor [6], vicarius Dei, *cui data est potestas a Domino super familiam suam* [7], et cui debent subditi eâ de causâ vice Domini obedire, si non corrigit delinquentes, si permittit sub se vitia crescere, et consuetudines malas oriri, et jam exortas roborari et dilatari, si videt regulares observantias dilabi et transgressiones multiplicari, et pro posse non obviat tam præsentibus malis quam imminentibus ; triplicem Deo reddet rationem : primo pro *suâ negligentiâ*, quando non fecit ad quod officio tenebatur..., secundo, quod *omnia peccata subditorum*, quæ poterat et debuerat correxisse et præcavisse, *imputantur* ei... tertio pro *abusione honoris et potestatis sibi collatæ*, quam ad propriam gloriam et commodum retorsit et non ad quod data est ei..."

(1) L. c. n. 7. — (2) P. STEIGER, l. c.— (3) S. BONAV. l. c. n. 6. — (4) S. BONAV. l. c. cap. 2, n. 1. — (5) P. STEIGER l. c. n. 5. — (6) L. c. c. 2 n. 15, 16. – (7) Respicitur MATTH. XXIV, 45; vel LUC. XII, 42.

5. **Quoad bonum exemplum subditis præstandum.** — Aliud Superioris officium seu obligatio est ut sit exemplaris in vitâ. "Ipse namque debet ceteris esse norma vivendi, ait S. Bonaventura: *Cœpit Jesus facere et docere* [1]. *Exemplum dedi vobis*, ait Dominus [2], *ut quemadmodum ego feci vobis, et vos ita faciatis.* Quamvis... in omnibus virtutum exemplis debeat rector præcedere subditos, specialiter tamen in his tribus: *in communis observantiæ conformitate, in mansuetudinis humilitate et in maturitatis honestate.*"

a) In communis observantiæ conformitate. "Communem vitam cum ceteris observet in victu et vestitu et labore [3]."

b) In mansuetudinis humilitate. "Sit humilis moribus, ut mores ejus ostendant, eum non alta de se sentire nec affectare prælationem [4]." S. Pater, ut Celano testatur [5], "videns quosdam prælationibus inhiare... eos non esse Fratres Minores dicebat."

Et socio suo aliquando dixit [6]: "Ecce prælatus exsistens fratrum vado ad capitulum, prædico et commoneo fratres, et in fine dicitur contra me: Non convenit nobis illiteratus et contemptibilis, ideo nolumus te regnare super nos, quia elinguis es, simplex et idiota. Tandem ejicior cum opprobrio, vilipensus ab omnibus. Dico tibi, nisi eodem vultu, eâdem mentis lætitiâ, eodem sanctitatis proposito hæc verba audiero, Frater Minor nequaquam sum." Et addebat: "In prælatione casus, in laude præcipitium, in humilitate subditi animæ lucrum est."

c) In maturitatis honestate quæ, juxta S. Bonaventuram [7], "perpenditur in tribus, scilicet, si non sit *levis in moribus*, videlicet in verbis et jocis scurrilibus et irreligiosis... si non sit *levis in affectu* per privatos amores notabiles... si non sit *levis in proposito* et inconstans in consilio, ut quod jam placet, mox displiceat."

(1) ACT. I, 1.—(2) JOANN. XIII, 15.—(3) S. BONAV. l. c. cap. 5. n. 2.—(4) S. BONAV. l. c. n. 3.— (5) Leg. 2 cap. 106.— (6) CELANO l. c.— (7) L. c. cap. V n. 6 seq.

His de potestate et obligationibus Superiorum dictis, jam de subjectione seu obedientiâ subditorum sermo est instituendus.

CAPUT II.

DE OBEDIENTIÂ SUBDITORUM.

1389. — Clarum est inter ecclesiasticos ministros non esse honoris et potestatis æqualitatem, sed quemadmodum in cœlesti hierarchiâ, ipsisque angelicis choris datur quædam ordinum diversitas, dum alii sunt angeli, alii archangeli, etc., ita et in ecclesiasticâ hierarchiâ, et divinæ dispensationis provisione, diversos necesse fuit constitui ministrantium gradus et ordines: " ut dum reverentiam minores potioribus exhiberent, et potiores minoribus dilectionem impenderent, vera concordia fieret, et ex diversitate contextio et recta officiorum generetur administratio singulorum [1]."

Ex hâc excellentiâ uniùs personæ præ aliâ, seu ex prærogativâ illâ quâ major præstat minori, nascitur obedientia quæ debetur Superioribus. Obedientia præsertim in duobus consistit: *in reverentiâ* nempe Superiori exhibendâ, et *in mandato ejus suscipiendo.*

Omnibus Superioribus reverentia exhibenda est. Insuper inferior tenetur suscipere atque exequi mandatum Superioris, non cujuscumque, sed illius dumtaxat qui habet jurisdictionem vel auctoritatem in eum.

Materia de obedientiâ subditorum quadruplicem habebit partem, quarum prima de *reverentiâ* erga Superiorem, secunda de *obedientiâ* in genere, tertiâ de *voto* obedientiæ, quarta vero de obedientiæ *virtute.* Unde quatuor articuli.

---

(1) REIFFENSTUEL, l. 1. Decr. t. 33, et can. *Ad hoc.* dist. 89.

ART. I. — De reverentiâ Superiori debitâ.

1390. — Quoniam omnis potestas a Deo est, religiosi omnes in suis Superioribus Deum ipsum agnoscant. Quamobrem debitâ reverentiâ et amore suos Superiores prosequantur, ait Schema Concilii Vaticani [1].

Actus reverentiæ est Deum in quolibet Superiore sæpe intueri, se submittere, illum non exterius modo, quod hominibus paret, sed etiam interius coram Deo, qui solus intuetur corda, reverere, amare, diligere, in omnibus quantum in nobis est, sponte, alacriter, prompteque adjuvare.

Videbimus: 1) Quas ob rationes Superiori reverentia debeatur; 2) quomodo omnis irreverentia vel contumelia sedulo vitanda est, 3) etiam in rebus minoris momenti, et 4) quomodo contra reverentiam peccatur.

1391. — 1. **Rationes cur reverentia Superiori debeatur.** — Superiori debetur reverentia *a)* quia est pater, *b)* vices Dei gerit et *c)* est instrumentum salutis.

a) ***Pater.***— "Filii universi, ductu quodam naturæ, parentes honore afficiunt. Cum ergo religiosi prælatos suos parentum loco habeant, cum ipsâ naturæ propensione pugnabunt, si eis honorem deferre recusent. Etsi enim ab eis, quod ad naturam spectat, geniti non sint, naturæ tamen lumen dictat, ut postquam parentum vices gerunt, paternum honorem accipiant [2]."

1392. — *b)* ***Vicarius Dei.*** — "Prælatus non ut pater tantum, sed præsertim ut Dei vices gerens honore maximo afficiendus est. Quisnam titulus illustrior, et honore dignior excogitari potest? Porro omnes vere religiosi viri, profundâ animi demissione Superiorem venerantur, memores amplissimi honoris, qui debetur iis, quos Christus in excelsum

(1) *De obedientiâ.*— (2) JOANNES a JESU MARIA. Carm. *Discipl. Monastica* P. 2. c. 37.— Op. t. 2 p. 158 seq.

fastigium evexit, dicens [1]: *Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit* [2]."

"Quocirca, ait S. Ignatius [3], sedulo vos in eam curam atque exercitationem incumbere cupio, ut Christum Dominum in Superiore quolibet agnoscere studeatis, in eoque Divinæ Majestati reverentiam atque obedientiam summâ cum religione præstare... Non intueamini in personâ Superioris hominem obnoxium erroribus atque miseriis, sed Christum ipsum, qui est sapientia summa, bonitas immensa, charitas infinita, qui nec decipi potest, nec vos vult ipse decipere." Sanctus vero Bernardus [4]: "Sive Deus, inquit, sive homo vicarius Dei, mandatum quodcumque tradiderit, pari profecto obsequendum est curâ, pari reverentiâ deferendum, ubi tamen Deo contraria non præcipit homo."

1393. — *c) Instrumentum salutis.* — "Prælatus est quidam canalis, vel aquæductus, per quem cœlestia dona in subditos derivantur, et voluntas Dei illis manifestatur. Illi quippe Deus affulget, instruit, ut subditos moderetur, eamque divinæ lucis et concilii gratiam in bonum subditorum cedere compertum est. Quis ergo non offerat honorem ei, per quem Deus tot bona largitur? Nimiâ cæcitate plerique laborant, qui in Superiore nihil altius, quam corporis præsentiam cogitare norunt, quos humi repere, et parum spirituales esse palam est." [5]

1394. — **2. Omnis irreverentia vel contumelia sedulo vitanda est,** nam *a)* in Scripturâ prædicatur hoc vitium maxime Deo odibile, et *b)* in eo major adest malitia quam in aliis peccatis.

a) Hoc vitium est maxime Deo odibile. — "Quam sit turpe prælatos non venerari, facile perspiciet, qui iram Dei con-

(1) Luc. x, 16.— (2) Ibid.— (3) *Epist. ad Fratres Lusitanos.* De obedientiâ n. 4 et 16.— (4) *De Præcept. et Dispens.* cap. 9. P. L.t. 182, col. 871.— (5) Cfr. P. Joannes a Jesu Maria Carm. *Discipl. Monast,* pars 2, c. 37.

ceptam in eos, qui in hoc genere peccant, digne perpenderit. Sane cum Aaron et Maria adversus Moysen parum reverenter locuti essent [1], apparuit Deus, et e nube velut e tribunali graviter reos reprehendit, leprâque Mariam continuo in pœnam respersit. Cumque Moyses, ut erat mitissimus, pro eâ precaretur, minime, ut optabat, exauditus est, donec Maria septem diebus castris exclusa, ultimoque revocata, cœptum iter persequi permissum est, Deo injuriam Moysi illatam exemplo tremendo ulciscente, ut discerent posteri quem honorem iis qui præsunt, deferre deberent. Nimirum injuria prælatis irrogata in Deum, cujus nomine præsunt, refunditur, sicut scriptum est: *qui vos spernit, me spernit.*" [2]

1395.— *b) Major adest malitia quam in aliis peccatis.*— "Qui eo processit ut prælatum aspernetur, pessimus religiosus et damnationi proximus dici potest. Quem merito reponimus in illo numero infelicium monachorum, quibus pejores homines nusquam reperire licet. Ita enim res se habet, et sanctus Augustinus [3] censuit: qui neque meliores quam qui in cœnobiis profecerunt, neque pejores quam qui ibi deliquerunt, se expertum fuisse commemorat.

"Quod licet in aliis peccatorum generibus ad proportionem sanctitatis, quam status exigit, verum esse probetur, tamen in eâ impudentiâ, quâ prælati contemnuntur, maxime verum est, cum in contemptu illo plus multo malitiæ, quam in aliis peccatis, quæ a monachis committi solent, inesse credatur." [4]

Ad hoc vitandum, Frater, recogita dictum S. Ignatii. [5] "Ut quod superior mandat, vel sentit, defendere semper apud animos vestros studiose nitamini, improbare autem nequaquam. Atque ad eamdem ipsam rem proderit, bene

(1) NUM. XII.— (2) LUC. X, 16. JOANNES A JESU MARIA. l. c.— (3) Epist. 78 ad pleb. Hippon. n. 9. P. L. t. 33, col. 272.— (4) Cfr. Joannes a Jesu Maria, l. c.— (5) L. c. n. 17.

animatos, affectosque esse ad id omne, quod ipse jusserit: sic enim fiet, non solum ut sine molestiâ, sed etiam ut cum voluptate lætitiâque pareatis; nam, ut est apud S. Leonem Non durâ ibi necessitate servitur, ubi diligitur quod jubetur." [1]

1396. — 3. Etiam in rebus minoris momenti vitanda est omnis irreverentia, nam per illam Superioris auctoritas deteritur et bona opinio et æstimatio quam cæteri de eo habent, diminuitur, et amoris in eum affectus intepescit. Quare fit, ut obedientiæ auctoritas, vigor et robur summopere enervetur: atque id solet esse causa, cur forte alter religiosus nullum sit fructum collecturus ex omnibus quæ Superior illi dixerit aut fecerit: quod est januam ad omnem profectum, qui Superioris adminiculo ei comparandus est, occludere.

Est autem hâc in re non exigua adhibenda cautio, etiam in rebus levibus exigui per se momenti: neque enim levis et parva res est, Superiori amorem, æstimationem, opinionem, fiduciam quam subditus ille de eo habebat, derogare. Atque hoc est, quod maxime in illis spectandum est, non tantum, utrum id quod dicitur aut fit, ex se grave sit an leve. [2]

1397. — 4. Quomodo contra reverentiam peccatur. — Contra reverentiam etiam graviter peccari potest *a)* tum interno contemptu, *b)* tum externo contumeliæ signo [3]

a) Per internum contemptum. — 1) Contemptus formalis Superioris, seu auctoritatis legitimæ in ipso, grave peccatum est. 2) Contemptus ipsius, qua persona *talis* est, his et illis qualitatibus instructus, est peccatum mortale, aut veniale, aut nullum, prout injuria committitur aut gravis, aut levis, aut nulla. Peccati ratio et gravitas pendet *a)* a gravitate maculæ, quâ superiorem affectum esse apud me judico,

(1) *De Jejun. VII Mensis.* sermo. IV. P. L. t. 54, col. 444. — (2) RODERICIUS o. c. P. III. tr. 5, c. 14, n. 9, 10. — (3) LEHMKUHL, o. c. t. I n. 798.

b) a gravitate indiciorum, quibus ad sic judicandum moveor.

N. B. Si vero tale judicium aliis manifestatur, perpendendum est præterea gravitas detractionis et alterius damni forte orituri.

b) Per externum contumeliæ signum.— 1) Si contemptus graviter peccaminosus coram aliis minifestatur; 2) contumeliâ ipsi personæ Superioris illatâ, aut ejus imagini et signo publice exposito; 3) contumeliâ in superiorem absentem congestâ, sive publice, sive ita ut facile publica fieri possit, aut ita prolata ut in aliis subditis notabilem justi honoris diminutionem gignat; 4) denegatione injustâ externi honoris signi, quando publice superior honorandus, si pro gravi contemptu ex circumstantiis habetur; 5) transgressione legis ob formalem contemptum.

CONCLUSIO — Si religiosus eodem intuitu candido et simplici, quo Christum ipsum aspicit, intuebitur Superiorem, ardua quæque pervincet, debitoque illum honore ac reverentiâ venerabitur.

ART. II.— De obedientiâ in genere.

1398.—Quid est?— In genere obedientia est obtemperantia legitimæ potestati. Dicemus igitur 1) de naturâ obedientiæ, 2) de ejusdem necessitate atque 3) honestate.

§ I.— *De naturâ obedientiæ.*

1399.— Omnis obedientia ejusdem est speciei.— Etsi diversæ inveniuntur potestates imperandi, cum tamen in omni potestate includatur potestas divina a quâ omnis potestas humana descendit et omnem vim obligandi accipit; et in omni præcepto humano, justo et legitimâ auctoritate facto, includatur præceptum divinum quo Deus præcipit ut subditi

suis obediant superioribus, hâc ratione omnis obedientia ejusdem est speciei [1].

Indicemus A. Quotuplex sit obedientia, et B. Quodnam sit ejus objectum.

1400.— A) ***De diversis obedientiæ divisionibus.***— Obedientia 1) alia est generalis, 2) alia vero specialis.

1.— OBEDIENTIA GENERALIS illa est quâ Superiori obtemperamus, mandata et præcepta ab ipso posita adimplendo, sub quâ obedientiâ veniunt etiam omnes aliæ virtutes, et actus ipsarum, utpote ex præcepto legitimæ auctoritatis debita. Sic accepta, obedientia non specialis sed virtus *generalis* nuncupatur.

2.— OBEDIENTIA SPECIALIS.— Sensu stricto obedientia virtus est moralis quâ voluntati Superioris obtemperamus. Juxta D. Thomam [2], triplex invenitur obedientia specialis: *a)* necessaria nempe, *b)* perfecta et *c)* indiscreta.

a) Necessaria illa dicitur obedientia quæ exequitur præcepta legitima.

b) Perfecta nominatur quæ non solum Superioris præcepta, sed et ejus consilia, imo ejus beneplacitum adimplet.

Hæc dividitur in obedientiam voluntatis et intellectûs. Obedientia *voluntatis* tribuit subdito idem *velle* quod Superior. Obdientia *intellectûs*, quæ vocatur cæca, tribuit subdito, quantum in rebus non evidentibus id patitur natura intellectûs, idem judicare quod Superior.

c) Hæc obedientia cæca alia est *discreta*, alia vero *indiscreta*, prout subjectio fit in rebus licitis vel illicitis.

1401.— B) ***De objecto obedientiæ.***— *a) Objectum materiale* obedientiæ specialis, ut ex dictis jam apparet, est id omne quod vult Superior, sive id est ejusdem præceptum, sive consilium, sive mere beneplacitum.

(1) LESSIUS, l. c. L. 2, c. 46, n. 26.— (2) 2. 2. q. 104, a. 5, ad 3.

b) Ex verbis S. Patris. — Sed audiamus potius ipsum Seraphicum Patrem. In suo Testamento aperte dicit: "Postquam Dominus dedit mihi, de fratribus nemo ostendebat mihi, quid deberem facere, sed ipse Altissimus *revelavit* mihi, quod ego deberem secundum formam Sancti Evangelii vivere: et ego paucis verbis et simpliciter feci scribi." Et sicut Seraphicus Doctor ait, fratres ad Regulæ observantiam inducens, dicere solebat [3]: se nihil ibi posuisse secundum industriam propriam, sed omnia sic scribi fecisse, sicut sibi fuerant divinitus revelata." Et ipse S. Bonaventura addit: "quod ut certius constaret testimonio Dei, paucis admodum evolutis diebus, impressa sunt ei stigmata Domini Jesu digito Dei vivi, tanquam bulla Summi Pontificis Christi, ad confirmationem omnimodam Regulæ et commendationem auctoris."

c) Ex revelatione. — In regno Cypri quidam Frater Minor

(1) Cfr. etiam Thomas a Celano, Leg. II, c. 159, p. 326.—(2) Rayneriі sive Fontis Columbæ prope urbem Reatinam (Rieti). Duo socii erant fr. Leo et fr. Bonitius. cfr. Analecta Franciscana, t. III, p. 29. — (3) L. c. p. 516.

S. Birgittam rogavit, ut ipsa consuleret ei quid deberet facere super aliquibus dubiis suæ conscientiæ, specialiter super observantiâ Regulæ Ordinis sui. Quæ Birgitta cum staret quâdam die orans in sanctâ civitate Jerusalem fratri supradicto, Christus apparuit ei, et alloquebatur ei dicens [1]: "Istius Francisci Regula quam ipse incepit, non fuit dictata et composita ab ipsius humano intellectu et prudentiâ, sed a me secundum voluntatem meam. Quodlibet enim verbum quod in eâ scriptum est, a Spiritu meo fuit sibi aspiratum et postea ipse aliis Regulam protulit et porrexit."

1470. — B) **Auctor Constitutionum Capuccinorum.** — Etsi de nostris Constitutionibus affirmare non possumus quod de origine Regulæ diximus: Deum Ipsum eas ad verbum dictasse, S. Pius V [2] tamen, postquam eas legerat, hanc memorandam dixit sententiam: "En Constitutiones a Spiritu Sancto dictatas, quas si quis perfecte observaverit, inter sanctos referri potest."

Art. II. — De excellentiâ Regulæ et Constitutionum.

1471. — De naturâ Regulæ et Constitutionum jam sermonem habuimus, et jam didicisti, Frater, quid sit Regula, quid sint Constitutiones, et quænam differentia Regulam inter et Constitutiones inveniatur. Recole igitur quid de hâc materiâ dixerimus [3]. Superest ut aliqua afferamus elogia Regulæ et Constitutionum ab auctoribus non Franciscanis et Romanis Pontificibus pronuntiata.

(1) Revelationes S. Birgittæ olim a Card. Turrecremata recognitæ, nunc a Gonsalvo Duranto a S. Angelo in Vado presb. et Sacræ Theolog. profess. notis illustratæ. Antverpiæ, 1611, Lib. 7, cap. 22, p. 559.— (2) Boverius, Annal. Min. Cap. ad ann. 1529, n. 12.— (3) Cfr. n. 990 seq.

A) **Elogia Regulæ.** — Martinus Navarrus [1] ait: "Adeo suspicio ac veneror Regulam illam altissimam S. Francisci, ut observantes illam ad unguem et mentem auctoris, reputem esse quosdam incruentos Christi martyres." S. Vincentius Ferrerius [2] dicit: "Qui illam Regulam servat, sanctus est, et quando moritur, potest canonizari." Similibus encomiis effertur a Romanis Pontificibus [3]. Inter alios Clemens V [4] Regulam exponens Religionem Franciscanam comparat horto Salomonis: "Hic hortus siquidem est Fratrum Minorum sancta Religio, ait, quæ muris regularis observantiæ firmiter undique circumclusa intra se solo contenta Deo adornatur abunde novellis plantationibus filiorum. Ad hunc veniens dilectus Dei Filius, mortificantis pœnitentiæ myrrham metit cum aromatibus, quæ suavitate mirâ universis odorem attrahentes sanctimoniæ circumfundunt. Hæc est illa cœlestis vitæ forma et Regula, quam descripsit ille Confessor Christi eximius S. Franciscus, ac servandam a suis filiis verbo docuit pariter et exemplo."

B) **Elogia Constitutionum.** — Pius X [5] verbis utitur Benedicti XIV [b], ad normam vivendi Capuccinorum per eorum Constitutiones determinatam laudandam et extollendam: Minores Capuccinos, ait, "dum in minoribus essemus, eâ quâ par erat veneratione prosequebamur; in hâc vero sacrosancti Apostolatûs speculâ constituti, majoribus Apostolicæ Nostræ caritatis benignitatisque testimoniis complecti gestimus, considerantes maxime quanta et quam luculenta christianæ pietatis et perfectionis exempla, cum sacrarum doctrinarum splendore atque æternâ animarum salute conjuncta ab initio in Catholicâ Ecclesiâ ita in dies proferant religiosissimi illius Ordinis alumni, ut nihil Orthodoxos Acatholicosque vicissim vehementius perstringat et ad saniorem

(1) Comment. 4 de Regul. n. 17. — (2) Ord. Præd. Serm. de S. Francisco.— (3) Lege supra Elogium Regulæ per Nicolaum III n. 971.—(4) C. *Exivi.* — (5) Litteræ Apostolicæ 8 Sept. 1909. — (6) Litt. *Inclytum* 2 Mart. 1743.

mentem reducet, *quam celeberrimi Instituti inita cum austerioris vitæ sanctimonia ratio*, et christianarum virtutum semita, prius per eosdem alumnos quam diutissime trita, deinde aliis exemplo et verbo indicata." Hæc jam sufficiunt, Frater, et ultra inquirendum est de Regulæ et Constitutionum vi obligatoriâ.

CAPUT II.

DE REGULÆ ET CONSTITUTIONUM VI OBLIGATORIÂ.

1472. — Regula et Constitutiones duplicem habent rationem: informationis nempe ad perfectionem, et legis a jurisdictionis potestate latæ.

In vitæ religiosæ primordiis fundatores Ordinum, ut S. Basilius, S. Benedictus per Regulam suis discipulis tradebant meram informationem ad perfectionem assequendam. Hodie vero norma vivendi religiosis per Regulam et Constitutiones imposita etiam a jurisdictionis potestate proficiscitur, et tanquam vera lex habetur omnibus talem vel talem normam in vitâ religiosâ vivendi profitentibus. Ex hoc duplici capite Regula nunquam ut merum consilium haberi potest, et proinde semper aliquam imponat obligationem omnino necesse est [1]. His ergo rationibus Regula et Constitutiones differunt a puro consilio: " Regula autem religiosa, ait Suarez [2], non est merum consilium; quia præter illam sunt multa alia, quæ ex consilio possunt religiosi facere; nam ut recte dixit S. Benedictus in cap. ultim. suæ Regulæ, non tota perfectio in solâ Regulâ est; et nihilominus religiosus omittens alia consilia supra suam Regulam, non censetur deesse suo muneri et statui: si autem suam Regulam prætermittat,

(1) Cfr. Suarez, De Relig. Tr. 8, L. 1, c. 2: n. 2. Vermeersch, o. c. I, 228, 229. — (2) Tr. 8, l. 1 c. 2, n. 2.

deficere censetur a suâ obligatione : ergo talis regula, respectu illius plus est quam consilium : ergo aliquam necessitatem imponit."

Dicemus igitur 1) de vi obligatoriâ quæ inest Regulæ et Constitutionibus per se, 2) quæ per accidens ; et 3) quomodo Regula et Constitutiones interpretandæ sint.

ART. I. — De vi obligatoriâ quæ per se inest Regulæ et Constitutionibus.

1473. — In omni Regulâ religiosâ varia inveniuntur statuta : *a)* alia vota definiunt, *e)* alia præcepta Dei vel Ecclesiæ confirmant, *c)* alia religiosis ut talis instituti membris imponuntur.

A) *Statuta quæ definiunt* semper obligant sub reatu peccati. Vota enim, uti vidimus, per Regulam texantur.

B) *Statuta quæ Dei vel Ecclesiæ præcepta confirmant* nullam novam addunt obligationem, nisi de contrario constat.

C) *Statuta quæ religiosis ut membris determinati instituti imponuntur*, non omnia eodem præscribuntur modo. Etenim Regula et etiam Constitutiones ex jurisdictionis potestate latæ rationem legis habent. Legislator autem subditos ad legem adimplendam obligare potest 1) vel sub reatu peccati mortalis, vel 2) peccati venialis, vel 3) sub obligatione pœnam violatoribus impositam adimplendi. Unde pro voluntate legislatoris et materiæ capacitate, gravior vel levior est Regula.

1) **Sub reatu peccati mortalis.**— In Regulâ Franciscanâ alia imponuntur tanquam vera præcepta sub peccato mortali obligantia [1], alia vero tanquam exhortationes [2], immo tanquam libertates [3]. Unde non Regula in universum, sed aliqua Regulæ statuta sub reatu peccati obligant, cum in ipsâ adhortationes præceptis misceantur.

(1) Cfr. n. 1143. — (2) Cfr. n. 1147. — (3) Cfr. n. 1149.

2) **Sub reatu peccati venialis.** — In aliquibus Religionibus, ut in Ordine P. P. Carmelitarum, Regula obligat sub veniali [1], et Suarez [2] existimat ubi neque scripto neque ex usu aliud colligatur, regulæ obligationem esse venialem.

3) **Sub obligatione pœnæ adimplendæ.** — In multis Regulis et in nostris Constitutionibus cavetur nihil *per se* sub peccato obligare. sed violatores teneri ad pœnam ob transgressionem impositam adimplendam. " Nihilominus quum Regulæ et Constitutiones legis rationem habeant, adeoque aliquam obligationem in conscientiâ involvere debeant, ut ait noster P. Piatus [3] ex Suaresio [4], dicendum est, quod si Regula pœnam imponat transgressoribus, illos obligat in conscientiâ saltem ut patiantur pœnam: dat enim jus Superiori ad puniendum talem actum, quem punire juste non posset, nisi Regula illum sic prohibens posita fuisset; ergo necesse est ut obliget subditum etiam in conscientiâ ad parendum Superiori talem pœnam imponenti, id est, ad non resistendum illi violenter, si pœna consistat in passione; vel ad exequendam illam si consistat in actione, et stricte præcipiatur. Sed forte dices, Frater, pœnam proprie non esse nisi prius fuerit culpa, at responderi potest, ait Vermeesch [5]: " Regulam istam intelligi posse ut præcipientem, vero præcepto sed alternatâ conditione, patientiam molestiæ illius instar pœnæ, nisi malueris ultro Regulæ obtemperare."

(1) Ant. Spirit. III, VI, 249 sq.— (2) T. 8, l. 1, c. 3, n. 8.— (3) P. III cap. 1, a. 2, q. 258. — (4) Tr. 8. L. 1, c. 2, n. 6. et 14.— (5) I, 231. in nota 4°.

ART. II — De vi obligatoriâ quæ per accidens inest Regulæ et Constitutionibus.

1474.— Violatio Regulæ et Constitutionum quæ per se sub peccato non prohibetur, raro tamen omni vacat culpâ. Ratio autem hujus culpabilitatis *a)* non est ex naturâ Regulæ et Constitutionum petenda, sed *b)* ex causis extrinsecis provenit, et non solum in subditis, sed etiam *c)* in superioribus inveniri potest.

1475.— A) ***Causa culpabilitatis in transgressione Regulæ et Constitutionum sub peccato non obligantium non ex Regulâ petenda est.***— Regula enim, uti supra diximus, norma est vivendi ad perfectionem ordinata, et lex a jurisdictionis potestate religiosis imposita. Ast ex hoc capite neque Regula neque Constitutiones majorem obligationem imponere possunt quam quæ imperantis voluntate indicitur. Et proinde violatio Regulæ et Constitutionum sub peccato non obligantium non parit reatum culpæ. Si igitur, ait Ballerini [1], subditus utitur epikeia, aberit culpa, ut si v. g., ut Layman docet [2], extra tempora cum socio loquitur ut mœstum consoletur. Quare cum Sanchez [3] dicere possumus, in universum religiosum non peccare si rem agit objective indifferentem sine detrimento boni communis, et si Regulam sub peccato ex se non obligantem transgreditur in aliquem finem vel causam quæ tunc videtur illi honesta, quamvis id quod facit sit minus bonum quam servare Regulam; non enim tenetur quis semper facere, quod melius est." Attamen paratus sit sustinere pœnam, si quæ a superiore exigitur, omnino oportet.

---

(1) Op. Theol. *de legib.* tr. 3, c. 1, n. 106.—(2) L. 4, tr. 5, c. 9, n. 8.—(3) L. c. Lib. VI, c. 4, n. 14.

1476.— B) ***Rationes extrinsecæ cur religiosus Regulam sub peccato non obligantem et Constitutiones violando peccet*** potissimum sunt sequentes:

b) **Internus operantis affectus.**— Ordo rationis tam stricte a Deo sancitur, Frater, ut nihil sit a ratione deflectens, quod eo ipso a Deo non sit prohibitum. Ast Religiosus Regulam vel Constitutiones sub peccato non obligantes transgredi potest 1) vel ex negligentiâ, 2) vel libidine, 3) vel contemptu[1], in hoc triplici casu violatio Regulæ et Constitutionum etiam sub peccato non obligantium continet culpam saltem venialem.

1) *Negligentiâ*, quæ habetur quando religiosus ex nullâ aliâ causâ quam ex quodam animi torpore ad Regulam et Constitutiones violandas, ducitur. Hic agendi modus a lege divinâ ut peccatum inconstantiæ prohibetur. Etenim die professionis religiosus sibi proponit Regulam et Constitutiones fideliter et in omnibus observare. Ast hunc bonum deserere propositum ob nullam aliam causam, ut peccatum veniale inconstantiæ argui debet. " Nam, ait de Lugo [2], qui firmiter proponit circa aliquod bonum faciendum, vel peccatum vitandum, si post repetitum, vel firmum propositum facile deficiat, negari non potest, quod contrahat novam turpitudinem inconstantiæ quam non contraheret, si propositum non præcessisset: quæ inconstantia in bono suscepto reprehensibilis est, et de ipso dictum est [3]: *Nemo mittens manum ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei.*"

2) *Ex libidine*, i. e. inordinato affectu erga aliquid, propter quod quis Regulam vel Constitutiones transgreditur. Agedum facere ex libidine quidpiam Regulâ non prohibitum, rectæ rationi dissonat, et jam culpa est; ergo a fortiori si Regulâ vel Constitutionibus prohibetur.

3) *Ex contemptu*:— Religiosus vitam regularem Deo promisit et Capuccinus Regulam Fratrum Minorum et Constitu-

(1) S. Thom. 2. 2. q. 186, a. 9, ad 1.— (2) *De Justitiâ et Jure*: D. 23, sect. 1, n. 1.— (3) Luc. ix, 62.

tiones Capulatorum. Religiosus igitur Regulam vel Constitutiones formaliter contemnens agit directe contra suæ professionis votum : et cum subjici simpliciter et absolute Regulæ et Constitutionibus non sit res levis, erit mortale, ait Sanchez . Quando autem hic contemptus accidat, jam supra explicavimus [2].

NOTANDUM hic est. Frater, peccatum mortale semper contemptum requirere formalem. Si religiosus igitur sive ex pertinaciâ judicii. vel ex vanâ gloriâ Regulam quando sub peccato non obligat, vel Constitutiones transgreditur, non lethale, sed veniale tantum committit peccatum.

b) **Incuria de consectariis,** quæ esse possunt 1) scandala et 2) turbatio ordinis domestici.

1) *Scandalum,* i. e. quando quis suo exemplo aliquem inducit ad violationes *peccaminosas* aut ad voluntatem eas patrandi. Hic agendi modus omnibus clare ut peccaminosus apparet.

2) *Turbatio ordinis domestici.*— Omnia in Regulâ et Constitutionibus statuta ad bonum societatis et ad ejusdem finem assequendum ordinantur. Lex silentii, v. g. ad spiritum orationis et devotionis fovendum et ad studia religiosa peragenda omnino requiritur, et res etiam per se indifferentes juxta mentem fundatoris observatæ, maxime inserviunt ad caritatem, pacem et ædificationem mutuam custodiendam.

Si quis igitur statuta etiam sub peccato non obligantia transgrediendo, ordinem domesticum perturbat, peccat. Communi enim bono affert detrimenta aliquando non levia : siquidem tota disciplina religiosa inde relaxari potest. Unde graves theologi [3] docent religiosos sic agendo graviter pec-

(1) L. c. n. 16. — (2) Cfr. n. 1214.— (3) SANCHEZ. *in Decal.* L. 6, c. 4, n. 18, LAYMAN, l. c. *De statu religioso,* c. 9, n. 9. S. ALPHONSUS, L. 5, (4) n. 10, VERMEERSCH, I, n. 232.

care posse: "Religiosus tenetur *sub mortali*, ait Sanchez [1], taliter vivere ut non sit graviter religioni suæ perniciosus inducendo alios religiosos suo pravo exemplo ad nimis relaxatam Regulam: et præterea perturbando suam Religionem adeo, ut valde expediat suæ Religioni eum expellere. Et confirmatur, quia si religiosus nollet unquam servare silentium, nec orare, nec modeste incedere, et ingrederetur omnium religiosorum cubicula, et similia religionis statuta transgrederetur, eo quod singula ad culpam per se non obligant, absque dubio perturbaret graviter totam religionem, et se in eo statu constitueret ut oporteret tanquam incorrigibilem eum expellere."

1477.— C) Ratio culpabilitatis in superioribus. — Superior ex officio bonum commune ordinis servare debet, quod maxime consistit in instituto ac observantiâ regulari sancte custodiendâ. Quare notabilis negligentia in permittendis subditorum defectibus in ipso gravis culpa est. [2]

"Multo enim magis et gravius obligatur ex munere suo Prælatus regularis ad procuranda bona spiritualia, quam temporalia sui Ordinis vel conventûs, ait de Lugo [3]; quare si ob ejus culpam communitas patitur grave detrimentum in spiritualibus, non poterit ipse a peccato gravi excusari, per se loquendo; et poterit contingere quod subditi solum venialiter peccent, et prælatus peccet graviter in iis defectibus permittendis." [4]

NOTANDUM tamen hic est aliquando expedire ut corrigere dissimulet si defectus scandalum non afferunt, vel si prævidet subditum ex correctione pejorem evasurum, vel si tempus exspectandum est opportunius. Prudentia id exigit. [5]

---

(1) L. c.— (2) LEHMKUHL, I, 518.— (3) L. c. D. IX, n. 21 — (4) Cfr. P. Piatus, I. P. 3. cap. 1, Art. 2. q. 259.— (5) P. Piatus, l. c.

ART. III. — De modo quo Regula et Constitutiones interpretandæ sunt.

1478.— Cum autem omnia non æque lucide in Regulâ et Constitutionibus proponantur, et ratione circumstantiarum habitâ, dubiis ansam præbere possent, earum interpretatio aliquando fieri debet. Ast, harum interpretationum A) aliæ sunt authenticæ, B) aliæ vero doctrinales, C) aliæ demum arbitrariæ.

1479. — A) ***De interpretatione authenticâ***, seu de eâ quæ fit per legitimam auctoritatem. Hæc Regulæ interpretatio non est prohibita : Romanis Pontificibus enim spectat omnes religiosorum Regulas et Constitutiones approbare vel improbare, confirmare vel infirmare, declarare, mitigare, et etiam arctare, ut in S. S. Canonibus habetur. Sic R. R. Pontifices etiam frequenter auctoritate suâ usi sunt et declarationes in Seraphicam Regulam ediderunt. [1] Duplicis autem generis expositiones promulgaverunt, declarativas nempe et relaxativas.

Declarativæ illæ sunt quæ Regulam juxta S. Patris mentem explicant.

Relaxativæ vero quæ privilegia et dispensationes circa Regulæ præcepta certis Fratrum Minorum Congregationibus concedunt. " Hæ non pro omnibus valent, ait P. Albertus a Bulsano [2], sed tantum pro illis Minoriticis Congregationibus, quæ tales relaxationes a S. Sede petierunt, obtinuerunt, et acceptarunt." Nostra autem Congregatio Capuccinorum tantummodo expositiones declarativas Romanorum Pontificum acceptat, potissimum Nicolai III et Clementis V. [3]

(1) Nimirum Gregorius IX a. 1231; Innocentius IV, 1246; Nicolaus III, 1279; Martinus IV, 1283; Clemens V, 1312; Joannes XXII, 1317; Martinus V, 1430; Julius II, 1509; Pius IV, 1561; cfr. Alb. a Bulsano, o. c. Introductio, § 3. n. 3. — (2) L. c.— (3) Cfr. Const. Cap. cap. 1, n. 3.

1480.— B) ***Declarationes doctrinales***, seu illæ quæ a privatis theologis exarantur. Hæ declarationes tantum valent, quantum valent rationes et argumenta quibus firmantur. [1]

Sedulo cavendum est, Frater, ut probatis et a superioribus approbatis expositionibus incumbens, obligationem strictam a statuto in conscientiâ non obligante discernas. Nam, licet religiosi vero spiritu Seraphico imbuti, maxime curent non solum peccata Regulæ et Constitutionibus contraria vitare, sed insuper omnibus perfectionis mediis a S. Patre verbo et exemplo propositis uti, attamen nunquam et nullo in casu obligationem in conscientiâ sine solido fundamento admittere possunt, et suam vel aliorum conscientiam falso timore inquietare.

(1) Præcipui Regulæ Expositores sunt sequentes:

Sæculo XIII: *Quatuor Magistri*, seu Doctores Ordinis, Alexander ab Hales, Joannes a Rupella, Robertus a Bascia et Richardus a Media Villa circa a. 1240: — S. Bonaventura, Hugo de Dina.

Sæculo XIV: Bartholomæus Pisanus, Angelus Clarenus, et anonymus, cujus expositio inscribitur: *Serena conscientia.*

Sæculo XVI: *Inter Observantes:* Antonius Cordubensis; Ivo Magister;— *Inter Capuccinos:* Joannes de Fano in tractatu de paupertate; Hieronymus a Politio (1594), Hieronymus a Sorbo (1596).

Sæculo XVII: *Inter Observantes:* Joannes Rausserius; Marchantius (1630); Gaudentius a Kerkhove (1680);— *Inter Capuccinos:* Sanctes (1614), Ludovicus Parisiensis (1612), Bartholomæus de Vechis (1626), Leander a Murcia (1645), Cyprianus Crousers (1625), Bonagratia ab Alsatia (1664).

Sæculo XVIII: *Inter Observantes:* Philippus a Castelluccio, Gabriel a Vincentia, Bonaventura a Dernoye Gallus, Zacharias la Selva (1775, reed. a Paulo Maria 1877), Kilianus Kazenberger.— *Inter Capuccinos* Bernardinus a Bononia (1749), Bernardinus Gandensis (1704), Gaudentius a Brixia (1761), Viator a Cocaleo (1780), Bonaventura a Minorissa, Simon a Lipnica (1788).

Sæculo XIX: *Inter Observantes:* Benedictus a Canicati (1854), Dion· Piccirelli (1858), Gabriel Angelus a Vincentiâ (Edit. 3. 1885).— *Inter Capuccinos.* Salvator Maria ab Alcano (1801), Samuel Majochi a Laude Pompeia (1856), Albertus aBulsano (1860), Hilarius Parisiensis (1870).

1481. — C) ***De interpretationibus arbitrariis,*** seu de illis quæ fundamento veritatis carent. Hæ interpretationes a Seraphico Patre vocantur *glossæ.* Ob juris enim peritorum abusus et multorum fallacias in *glossis,* seu interpretationibus, tempore S. P. N. Francisci in malam partem inter vulgum sumebatur vox *glossa,* tanquam mutilatio veræ doctrinæ et appositio falsæ. Unde *glossa* vulgo sumebatur pro falsificatione sensûs doctrinæ. Unde etsi S. Pater noluit accuratas expositiones seu *glossas* tali nomine dignas prohibere, falsas et temerarias aperte condemnat [1]. Regula et Constitutiones interpretandæ sunt juxta declarationes authenticas et doctrinales, minime vero juxta arbitrarias. De iis enim loquitur S. Pater in suo Testamento: " Omnibus fratribus meis clericis et laicis præcipio firmiter per obedientiam ut non mittant glossas in Regulam nec in istis verbis dicendo: *Ita volunt intelligi.* Sed sicut Dominus dedit mihi simpliciter et pure dicere et scribere Regulam et ista verba, ita simpliciter et pure sine glossâ intelligatis."

CAPUT III.

DE NECESSITATE REGULAM ET CONSTITUTIONES OBSERVANDI PRO FRATRIBUS SALUTI ANIMARUM INCUMBENTIBUS.

1482. — Ex mente S. Francisci et vi professionis Fratres Minores ad vitam adstringuntur mixtam. Cum finis postulet mediorum usum, omnia quæ in Regulâ et Constitutionibus inveniuntur statuta, ad propriam sanctificationem et salutem animarum sunt ordinata. Hæc media observare tenentur omnes, sed potissimum tamen, et modo peculiari Fratres qui saluti incumbunt animarum. Nam sacrum hoc

(1) ALBERT. a BULSANO, p. 5, nota 1.

ministerium : 1) postulat ut ministri evangelii non solum ad perfectionem tendant, sed et sancti sint ; 2) hæc sanctitas sine exercitiis spiritualibus in Regulâ et Constitutionibus ad propriam sanctificationem præscriptis obtineri et conservari nequit. Unde 3) nefas est ea ullo sub prætextu negligere.

Art. I. — Ministri evangelii sancti sint oportet.

1483. — Etenim : 1) sacerdos qui alios sanctificare intendit, prius sanctitatem possidere debet ; 2) munera quibus fungitur sanctitatem postulant, et 3) licet aliorum sanctitas ab eo procuranda sit, hæc tamen ex parte ab ipsius sanctimoniâ dependet.

1484. — A) **Sacerdos qui alios sanctificare intendit, prius sanctitatem possidere debet.** — Fratres Minores vitam apostolicam profitentes et sacris insignitos, saluti animarum addictos esse, omnibus manifestum est. " Quicumque enim sacerdotio potitur, eo non sibi tantum, sed aliis potitur, ait Pius X [1] : *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum* [2]. " Jam vero, ut S. Thomas [3] apprime docet : " Manifestum est autem majorem perfectionem requiri ad hoc quod aliquis perfectionem aliis tribuat, quam ad hoc, quod aliquis in se ipso perfectus sit : sicut majus est posse facere aliquem talem, quam esse talem, et omnis causa potior est suo effectu."

Quapropter : *a)* Christus sanctitatem ut conditionem ad prædicandum insinuat, et *b)* Apostoli eam aperte necessariam declarant.

a) Christus sanctitatem ut conditionem ad prædican-

(1) *Exhortatio ad clerum catholicum* occasione sui Jubilæi sacerdotalis 4 Aug. 1908.—(2) Hebr. v, 1.—(3) *De perf. vitæ spirit.* cap. xvii.

dum insinuat. — Discipulos suos instruens, ait [1]: *Vos estis sal terræ. Quod si sal evanuerit, in quo salietur? Ad nihil valet ultra, nisi ut mittatur foras, et conculcetur ab hominibus.* Hæc comparatio autem merito adaptatur doctoribus et præsidibus Ecclesiæ, i. e. episcopis et sacerdotibus eorum adjutoribus: "qui si ipsi moribus et vitâ alieni sunt a doctrinâ Christi, vel si non studiose adlaborant ut in officio salis perseverent et vividum illum doctrinæ studiique virtutum vigorem conservent, quid jam efficere poterunt? Non solum inutiles sunt, sed nocivi sibi et aliis; despiciuntur et maximo damno sunt Ecclesiæ [2]." Et Dominus insistit dicens [3]: *Vos estis lux mundi... luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.* Non sufficit igitur bonam docere doctrinam, Deus glorificandus est et glorificatur tantum si secundum doctrinam Christi vivimus, si bonis operibus lucemus. Ad præclarum ministerium, juxta Christi verba, accedat vita præclara omnino decet.

b) S. Apostoli sanctitatem in animarum pastoribus necessariam declarant. — Qui curæ animarum incumbit, *forma gregis ex animo* [4] sit proclamat S. Petrus Apostolus. Et S. Paulus ad Titum scribens, ait [5]. *In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum.* Et ad Timotheum [6]: *Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate.* Oportet enim ut unusquisque nostrum cum Apostolo dicere possit [7]: *quæ... vidistis in me, hæc agite,* et: *imitatores mei estote, sicut et ego Christi* [8]. Scriptura enim ait [9]: *Inebriabo animam sacerdotum pinguedine, et populus meus bonis meis adimplebitur.* Quapropter Constitutiones statuunt ne "alicui munus prædicationis conferatur, nisi certo constet, ipsum esse vitæ sanctæ et exemplaris, clari ac maturi judicii, fortis et ardentis voluntatis; cum com-

(1) MATTH. v, 13.— (2) J. KNABENBAUER in h. l. — (3) MATTH. v, 14, 16.—(4) I PETR. v, 3.—(5) TIT. II, 7.—(6) I TIM. IV, 12.— (7) PHIL. IV, 9.—(8) I COR. XI, 1.—(9) JER. XXXI, 14.

pertum sit, aiunt [1], scientiam et eloquentiam minime, a caritate sejunctas, esse in ædificationem, verum sæpe sæpius in destructionem; siquidem, juxta D. Gregorium [2], illius prædicatio facile contemnitur, qui vitam ducit remissam."

1485.—B) **Munera sacerdotalia sanctitatem requirunt.**— Munera quibus fungitur sacerdos, munera sunt cœlestia. *Sic nos,* inquit Apostolus [3], *existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei. Pro Christo ergo legatione fungimur* [4]. Hæc ratio est cur Dominus sacerdotes non servos sed amicos vocet: *Jam non dicam vos servos... Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis... Ego elegi vos, et posui vos ut eatis et fructum afferatis* [5]. "Est igitur nobis, ait Pius X [6], persona Christi gerenda: legatio vero ab ipso data sic obeunda, ut quo ille tendit, eo nos pertingamus... Tenemur *ut amici* hoc sentire in nobis, quod et in Christo Jesu, qui est *sanctus, innocens, impollutus* [7]; *ut legati* ab eo, debemus doctrinis ejus ac legi conciliare fidem hominum, easdem nimirum nos ipsi primum servantes... At maxime *ut ministri* ejus in præcellentissimo sacrificio, quod perenni virtute pro mundi vitâ innovatur, debemus eâ animi conformatione uti quâ ille ad aram crucis seipsum obtulit hostiam immaculatam Deo." Quâ de causâ Seraphicus Franciscus, hujus veritatis optime memor, in litteris quas in fine vitæ Capitulo Generali direxit [8], sacerdotes suos monet ut sancti sint, quia ipse Dominus sanctus est, imo ut super omnes alios Deum diligant, revereantur et honorent.

C) **Fidelium sanctitas a sacerdotis sanctimoniâ ex parte dependet.**—"Ad communem legem id pertinet, ait Leo XIII [9], quâ Deus providentissimus uti homines plerumque per homines salvandos decrevit." Quapropter zelo animarum

(1) Const. O. M. C. n. 179.— (2) Homilia XII in Evangelio. P. L. t. 76, col. 1119.— (3) I Cor. IV, 1.— (4) II Cor. V, 20.— (5) Joann. XV, 15, 16 — (6) L. c. — (7) Hebr. VII, 26.— (8) Epist. II, Opera, Ed. Quar, p. 103.—(9) Litt. ad Card. Gibbons 22 Jan. 1899.

sacerdotes ferveant necesse est, et Frater Minor cum Apostolo dicere debet: *Væ mihi si non evangelizavero* [1]. Tenetur enim verbum Dei nuntiare, confessiones rite accipere, adesse aliquando infirmis præsertim morituris, ignaros fidei erudire, solari mœrentes, reducere errantes, usquequaque imitari Christum: *qui pertransiit benefaciendo, et sanando omnes oppressos a diabolo* [2]. Sed indubitatum est, Frater, nisi volunt frustra laborare mercesque congregare in sacculum pertusum [3], eos ad vitam spiritualem, ad vitam orationis teneri, tenerique eo vel magis quo pluribus difficilioribusque occupationibus curâ animarum sunt occupati. Teste enim D. Paulo [4]: *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus.* Memento, Frater, homines nihil esse, ut merito notat Pius X [5]: "nisi instrumenta quibus ad salutem animarum utitur Deus; ea oportere idcirco ut apta sint quæ a Deo tractentur." Ast, prosequitur: "unum nimirum est quod hominem cum Deo conjungat, unum quod gratum efficiat, atque non indignum ejus misericordiæ administrum; vitæ morumque sanctimonia. Hæc, quæ demum est supereminens Jesu Christi scientia, sacerdoti si desit, desunt ei omnia."

1486.— OBJECTIO.— Sed dices forte, Frater, conversiones etiam per prædicatores imperfecte viventes operari, audi quid dicat Seraphicus Franciscus [6]: Cur, ait, loquens de prædicatoribus qui obolo vanæ gloriæ fructus verbi Dei vendunt, "cur de conversis hominibus gloriamini, quos fratres mei simplices suis orationibus convertere?" Et ut clarius suam declararet sententiam, verbum: *Donec sterilis peperit plurimos* [7], sequenti modo exponebat [8]: "Sterilis, inquit, est frater meus pauperculus, qui generandi in Ecclesiâ filios non habet officium. Hic pariet in judicio plurimos, quia quos nunc privatis orationibus convertit, suæ gloriæ

(1) I COR. IX, 16.— (2) ACT. X. 38,—cfr. Pius X, l. c.— (3) AGGÆI, I. 6.—(4) I COR. III, 7.— (5) L. c.— (6) CELANO, Leg. II, c. 123, p. 292. —(7) I REG. II, 5.— (8) CELANO, l. c.

tunc judex adscribet. Quæ multos habet filios infirmabitur, quia prædicator, qui multis velut suâ virtute genitis gaudet, cognoscet tunc nihil proprii habuisse in eis."

Art. II.—Sanctitas Fratris Minoris saluti animarum incumbenti postulat Regulæ et Constitutionum observantiam.

1487.— Sanctitas, seu perfectio instrumentalis sacerdotis saluti animarum incumbentis, sequentes postulat conditiones: A) Ut zelum habeat animarum; B) ut huic zelo praxis virtutum accedat; C) ut praxis virtutum per exercitia in Regulâ et Constitutionibus præscripta acquiratur.

1488.— A) **Sanctitas postulat verum animarum zelum.**— "Nullum quippe omnipotenti Deo tale est sacrificium, quale zelus animarum," ait S. Gegorius [1], et ut optime notat S. Isidorus [2]: "Sicut per contemplationem amandus est Deus, ita per actualem vitam diligendus proximus, ac per hoc, sic non possumus sine utrâque esse vitâ, sicut et sine utrâque in dilectione esse nequaquam possumus." Licet omnes christiani aliquando ratione statûs et circumstantiarum habitâ ad hunc teneantur zelum, Fratres Minores vi professionis huic sancto ministerio adstringuntur. Amor Dei et proximi, passio et exemplum Jesu Christi, exemplum S. P. Francisci, opera apostolica a nostratibus pro salute animarum et Ecclesiæ utilitate præstita, et grati animi debitum erga Ecclesiam hunc zelum efflagitant. His rationibus tamen non insistemus. Hæc omnia pie et docte invenies in libris asceticis quæ in promptu habes [3]. Sed compertum habeas,

(1) Homil. in Ezech, Lib. 1 hom 12, P. L. t. 76, col. 932.--(2) Diff. Lib. 2, xxxiv, n. 135, P. L. t. 83, col. 91.— (3) Inter alios lege Rodericium o. c. P. 3, lib. 1 cap. 1, sq. et pro Ordine Franciscano; Van Loo, Stimulus Seraphicæ Conversationis, Ed. 2, cap. 35, et 36, p. 324, sq. cfr. etiam supra.

Frater, te absque vero animarum zelo Deum amare non posse; quod exemplo et verbo S. Patris confirmatur. De Francisco enim S. Bonaventura [1] hoc tradit testimonium : "Sic autem eum caritatis excessiva devotio sursum in divina ferebat, ut ejusdem affectuosa benignitas ad naturæ consortes et gratiæ dilataret. Quem enim creaturis ceteris germanum pietas cordis effecerat, mirum non est, si Creatoris insignitis imagine et sanguine redemptis Auctoris germaniorem Christi caritas faciebat. *Non se Christi reputabat amicum, nisi animas foveret quas ille redemit.* Saluti animarum nihil præferendum esse dicebat, eo maxime probans quod Unigenitus Dei pro animabus dignatus fuerit in cruce pendere."

1489. —B) Verus zelus postulat virtutum praxim. —Zelus animarum tamen sine virtutum praxi non sufficit. "Equidem sunt qui putent, ait Pius X [2], quin etiam profiteantur, sacerdotis laudem in eo collocandam omnino esse, ut sese aliorum utilitatibus totum impendat:... Hæc sane doctrina mirum quantum fallaciæ habet atque exitii." Et clare probat 1) praxim virtutum, etiam earum quibus ipse homo perficitur, ad omnes christianos, sed 2) potissimum tamen ad sacerdotes spectare.

1. — *Praxis virtutum ad propriam sanctificationem ordinatarum ad omnes christianos spectat.* — Hoc assertum Pius X [3] roborat testimonio Leonis XIII [4]: "Magister et exemplar sanctitatis omnis Christus est, ait Leo XIII, ad cujus regulam aptari omnes necesse est, quotquot avent beatorum sedibus inseri. Jamvero, haud mutatur Christus progredientibus sæculis, sed idem *heri et hodie : ipse et in sæcula* [5]. Ad omnium igitur ætatum homines pertinet illud: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde* [6]: nulloque non tempore

(1) Leg. Maj. C. 9. n. 4, Opera t. VIII, p. 531.—(2) L. c.—(3) L. c.—(4) Litt. "*Testem benevolentiæ*" 22 Jan. 1899. — (5) HEBR. XIII. 8.—(6) MATTH. XI, 29.

Christus se nobis exhibet factum obedientem *usque ad mortem* [1]: valetque quâvis ætate Apostoli sententia: *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis* [2]. "

2. — *Hæc virtutum praxis potissimum homines apostolicos respicit.* — " Quæ documenta, prosequitur Pius X [3], siquidem spectant unumquemque fidelium, propius tamen ad sacerdotes attinent: ipsique præ ceteris dicta sibi habeant quæ idem Decessor noster Apostolico ardore subjecit: " quas utinam virtutes multo nunc plures sic colerent, ut homines sanctissimi præteritorum temporum! Qui demissione animi, obedientiâ, abstinentiâ, *potentes* fuerunt *opere et sermone*, emolumento maximo, nedum religiosæ rei, sed publicæ ac civilis." Hæc virtutum praxis, prosequitur Pius X [4], nempe: " sanctitas una nos efficit, quales vocatio divina exposcit: homines videlicet mundo crucifixos, et quibus mundus ipse sit crucifixus; homines in novitate vitæ ambulantes qui, ut Paulus [5] monet, *in laboribus, in jejuniis, in castitate, in scientiâ, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu Sancto, in caritate non fictâ, in verbo veritatis* seipsos exhibeant ut ministros Dei; qui unice in cœlestia tendant, et alios eodem adducere omni opĕ contendant."

1490. — C) **Praxis virtutum per exercitia in Regulâ et Constitutionibus præscripta acquiri debet.** — Sanctitas postulat igitur virtutum praxim. Hæc praxis fructus est voluntatis nostræ subsidio gratiæ acquisitus. Jam vero, bona voluntas requirit ut iisdem utamur mediis quæ Ecclesia nobis ut talem fructum afferentia, proponit. Hæc media autem illa sunt quæ nobis authentice, id est nomine Dei a jurisdictionis potestate per Regulam et Constitutiones traduntur. Unde clare sequitur Fratres Minores saluti animarum incumbentes præ ceteris fratribus ad illa observanda teneri. Media vero hæc non nobis tantum, sed omnibus vero zelo apostolico

(1) PHIL. II, 8.— (2) GAL. V. 24. — (3) L. c. — (4) L. c.— (5) II COR. VI, 5 et sq.

ferventibus sacerdotibus, ut media *sine qua non* imponuntur et sunt, teste Pio X [1], potissimum hæc sequentia : *Meditatio quotidiana, Librorum piorum sedula lectio ; examen conscientiæ quotidianum ; confessio sacramentalis, secessus annuus et menstruus.* Horum exercitiorum spiritualium necessitatem probat dicens : " Nec enim assueti cum Deo colloqui, quum de eo ad homines dicunt vel consilia christianæ vitæ impertiunt, prorsus carent divino afflatu ; ut evangelicum verbum videatur in ipsis fere intermortuum. Vox eorum quantâvis prudentiæ vel facundiæ laude clarescat, vocem minime reddit Pastoris boni, quam oves salutariter audiant : strepit enim diffluitque inanis." [2] Unde Seraphicus Pater clericos Ordinis " qui se magis rhetores quam prædicatores laudari cupiunt, ornatu non affectu loquentes, non multum amabat " [3] ; e contra prædicatorem laudabat sed solum " eum qui pro tempore sibi saperet, sibique gustaret [4]," male enim sibi consulunt, dicere solebat, " qui prædicationi totum, devotioni nihil impendunt." Quam vera sit hæc doctrina, tristis probat experientia ! et ex mox dicendis clarius patebit.

ART. III. — Nefas est Fratri Minori sub ullo prætextu exercitia spiritualia in Regulâ et Constitutionibus præscripta negligere.

1491. — Deploranda est cæcitas aliquorum qui ex defectu exercitiorum spiritualium jam propriæ animæ egestatem dissimulare nequeunt, et sese excusant dicentes : " se totos agitationi ministerii dedisse, in multiplicem aliorum utilitatem [5]." Ast, ait Pius X [6], " falluntur misere " ; nam A) ipsi viri apostolici maximis exponuntur periculis, et B) primum sibi et dein aliis succurrendum est.

(1) L. c. — (2) L. c. — (3) CELANO, Leg. II c. 123 p. 293. — (4) CELANO l. c. — (5) PIUS X l. c. — (6) L. c.

1492.— A) Viri apostolici maximis exponuntur periculis. — De his periculis jam sermonem instituimus, Frater [1]. Unusquisque enim sicut Apostolus exclamare tenetur: *Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus* [2]? Quapropter S. Paulus [3] nos monet dicens: *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli... Ut possitis resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare.* Aliis verbis: utamini mediis vobis ad hos vincendos rite aptatis. Nam

1493. — B) Primum sibi et dein proximo succurrendum est. — S. Bernardus summum Pontificem Eugenium III, magno cum pondere sic monebat: "A te tua consideratio inchoet, ait [4], ne frustra extendaris in alia, te neglecto... Tu primus tibi, tu ultimus... In acquisitione salutis nemo tibi germanior unico matris tuæ." Oportet igitur ut primum sis tibi et sic totus omnibus, uno verbo ut actioni ex abundantiâ amoris incumbas. "Sume exemplum, inquit S. Bernardus [5], de Summo omnium Patre, Verbum suum et emittente, et retinente."

CONCLUSIO. — Noli igitur, Frater, teipsum decipere et laboris prætextu te ab exercitiis spiritualibus unquam eximere. Alias enim te ut filium legitimum S. Francisci considerare non licet. Audi quid Celano [6] de eo testetur: "Per decem et octo annorum spatium,... vix aut nunquam requiem habuerat caro sua, varias et longissimas circuiens regiones, ut spargeret ubique semina verbi Dei spiritus ille promptus, spiritus ille devotus, spiritus ille fervens qui eam

(1) Cfr. n. 328 sq. — (2) B. Paulus ad Rom. VII, 22-24. — (3) EPHES. VI, 11 sq.—(4) S. BERN. *De consid.* L. 2. c. 3. P. L. t. 182, col. 745, 746.— (5) *De Considerat.* L. 2, cap. 3, ibid. col. 746. — (6) Leg. 1. Opusc. de duobus annis et felici obitu S. P. Fran. c. 4, p. 101.

inhabitabat. Replebat omnem terram evangelio Christi, ita ut unâ die quatuor aut quinque castella, vel etiam civitates, sæpius circuiret, evangelizans unicuique regnum Dei, et non minus exemplo quam verbo ædificans audientes, de toto corpore fecerat linguam."

Tibi quoque, carissime Frater, quando gratiâ Dei eris sacerdos Altissimi, apostolicæ prædicationi vacandi eique zelo assiduo insistendi incumbet munus. Ad hoc sublime ministerium vocatus, necesse est ut tempore novitiatûs, tempore studiorum totis viribus perfectionem anheles, pie nempe studendo et sancte orando, ut saluti animarum aliquando addictus quos erudias verbo, pascas exemplo. Et tunc in te implebitur quod in S. Francisco [1] factum est: Christus vera virtus et sapientia dabit voci tuæ vocem virtutis.

CONCLUSIO TRACTATUS

de obligationibus religiosorum.

1494. —Obligationes quæ religiosis tum ex naturâ statûs et ex votis emissis, tum ex Ecclesiæ legibus, vel ex Regulâ et Constitutionibus incumbunt, fusius explanavimus. Etsi media ad finem Ordinum religiosorum aptissime sunt ordinata, deploranda tamen aliquando est religionis determinatæ defectio. Sanctus autem Bonaventura causas hujus defectionis inquirit et assignat aliquas omnibus religionibus communes, et aliquas uni vel altero religioni speciales [2].

COMMUNES sunt, ait: 1) *multitudo intrantium*, "quia multi non possunt tam facile flecti quam pauci"; 2) *subtractio*

(1) Cfr. Celano, Leg. 2, c. 73, p. 251. — (2) Cfr. Determinationes quæstionum circa Regulam F. F. Minorum Pars I, q. 19. Opera omnia, t. VIII, p. 349 et sq.

eorum qui primo tenuerunt Ordinem in suo vigore; 3) *ignorantia* rerum spiritualium in superioribus, "quia quod quilibet non didicit, nescit docere"; 4) *inobservantia* bonarum consuetudinum per introductionem earum quæ minus sunt rectæ. 5) "*Occupatio negotiorum* frequenter emergentium: quæ corda distrahit, affectum devotionis exstinguit, mores alterat; et ne de suâ correctione efficaciter cogitent, semper nova impedimenta religiosis innectit."

SPECIALES autem assignat sequentes: 1) *nimiam inopiam* "ex quâ coguntur fieri proprietarii, dum sibimet videtur quisque providere, quia non providetur eis in communi;" 2) *nimias opes* "e quibus fiunt carnales, superbi et multipliciter vitiosi;" 3) *frequentiam inter sæculares* "ex quâ oritur multarum tentationum carnalium materia et teporis;" 4) *frequentem mutationem prælatorum* "etsi pro parte bonâ sit... tamen in eo nociva est, quod boni, dum cito sperant absolvi, non præsumunt aggredi vel non proficiunt, ut reforment statum Ordinis, et rebelles subditi potius laborant, ut deponantur, quam status debite reformetur;" 5) *discordiam inter varios prælatos;* 6) *mutationem inopportunam religiosorum*, hoc evenit "si aliqui in uno loco diligenter studeant reformare statum in melius, mittuntur ad alium locum, ubi non inveniunt quod quærebant."

Attamen in suis Epistolis officialibus [1] omnes relaxationum causas quibus contingit ut Ordo defœdetur, a duobus præcipue repetendas esse, dicit idem S. Bonaventura, nempe: *a)* ex parte superiorum: defectus vigilantiæ, zeli et justitiæ, et *b)* ex parte inferiorum: neglectus et transgressio statutorum.

a) Ex parte superiorum: vigilantia, zelus et justitia igitur necessaria sunt. "In hoc enim, ait Seraphicus Doctor [2], differunt laudabiles religiones et jam delapsæ, non quod nullus peccans in laudabilibus reperiatur, sed quod nullus

(1) Cfr. Epist. I, t. VIII p. 468.—(2) *Sex alis Seraph.* cap. 2, n. 13.

impune peccare sinatur, et peccandi aditus studiose præcludantur, et incorrigibiles et alios inficientes eliminentur, et boni foveantur et diligantur." Unde monet, immo urget Superiores ut quæ ad observantiam, potissimum quoad orationem et paupertatem sunt statuta, exequi faciant et abusus penitus exstirpent. "Ne igitur, ait [1], *sanguis animarum* non solum nostræ sollicitudini commissarum, sed etiam omnium, quæ ad lumen sanctæ Religionis per viam salutis incedunt, *de nostris manibus requiratur*, caritatis tuæ zelum, quantum possum, efficaciori mandato duxi præsentibus excitandum, adjurans te per aspersionem sanguinis Crucifixi et per stigmata passionis ejus, quæ in sacro Patris nostri corpore indubitabili claritate fulserunt, ut sicut Christi servus fidelis prudens ad præfatarum exstirpationem pestium toto te animi vigore succingas, totâ mentis attentione invigiles totoque fervore spiritûs succendaris."

b) Ex parte inferiorum requiritur observatio Regulæ, Constitutionum et Testamenti S. Patris. Nullum invenitur incitamentum ad hoc efficacius quam sedula meditatio maledictionis et benedictionis ac exhortationis S. Francisci, quæ ab immemorabili tempore quâlibet feriâ sextâ apud Fratres Minores in mensâ publicâ leguntur. [2]

Exhortatio Seraphici Patriarchæ.

"O dilectissimi Fratres, et in æternum benedicti filii, audite me, audite vocem Patris vestri: magna promisimus, majora promissa sunt nobis. Servemus hæc, suspiremus ad illa. Voluptas brevis, pœna perpetua. Modica passio, gloria infinita. Multorum vocatio, paucorum electio; omnium erit retributio. Amen."

(1) Epist. 2 n. 3 p. 470. — (2) Cfr. Seraphicæ Legislationis textus originales p. 270-272.

S. Francisci maledictio in transgressores scandalosos.

"A te, Sanctissime Pater, et a totâ cœlesti Curiâ, et a me pauperculo sint maledicti qui suo malo exempio confundunt et destruunt quod per sanctos fratres hujus Ordinis ædificasti et ædificare non cessas!"

VERBA S. FRANCISCI.

Laudes Regulæ.

"Fratres mei, et filii charissimi, præclare nobiscum actum est in concessione hujus Regulæ. Hæc enim, quæ nobis proponitur, Liber est vitæ, spes salutis, arrha gloriæ, medulla Evangelii, via Crucis, status perfectionis, clavis Paradisi, pactum æterni fœderis. Nemo vestrum est, qui ignoret quantum emolumenti conferat nobis sacra Religio, cum colluctator et adversarius noster ad omnes dolos, vel cogitandos, vel explicandos mirus sit artifex, atque omnia, quæ nocere possunt, pro laqueis habeat. Unde quamplures, nisi religionis beneficio muniti essent, in summum discrimen adduxisset. Hanc ergo vestram Regulam scitote omnes, et in allevatione tædii, et memoria præstiti juramenti, cum interiori homine de eâ confabulamini; cum intentione eam adimplendi, semper præ oculis portate; immo et cum ipsâ debetis mori."

S. Francisci exhortatio ad observantiam Regulæ.

"In nomine Dei Omnipotentis rogo omnes fratres ut addiscant tenorem et sensum eorum quæ in istâ vitâ ad salutem animæ nostræ scripta sunt, et ista frequenter ad memoriam reducant. Et exoro Deum ut ipse, qui est Omni-

potens, Trinus et Unus, benedicat omnes docentes quæ ibi ad salutem nostram scripta sunt. Et deprecor omnes, cum osculo pedum, ut multum diligant, custodiant et reponant; et ex parte Dei omnipotentis et Domini Papæ, et per obedientiam, ego, Franciscus, firmiter præcipio et injungo, ut ex his quæ in istâ vitâ scripta sunt, nullus minuat, vel in ipsâ scriptum aliquod desuper addat, nec aliam Regulam fratres habeant."

Laudes Testamenti S. Francisci.

"O Testamentum pacis, Testamentum nullâ oblivione delendum, nullâ dedignatione spernendnm, nullâ superordinatione mutandum! Testamentum, inquam, non morte Testatoris, sed immortalis vitæ condonatione sancitum!

Beatus qui non spernit vel objicit caritatis incorruptibile Testamentum, fertile humilitatis feudum, desiderabilem paupertatis thesaurum, tanti Patris sibi traditione legatum!"

Dic igitur semper, carissime Frater; hæreditatem mihi a Seraphico Patre per Regulam et Testamentum relictam, Constitutiones meas et statuta superiorum nunquam derelinquam. Meam sanctitatis normam custodiam, defendam, et non alienabo eam. Irascatur servus Achab, ferveat contra me impia Jezabel, minentur opprobria, ictus crepitantium lapidum cuncta hæc despiciam, ne hæreditatem meam deseram.

TABULA RERUM

ET

BIBLIOGRAPHIA. [1]

PRÆFATIO.

PROŒMIUM.

I. — De titulo hujus operis, ac de aliquibus notionibus generalibus scientiam asceticam spectantibus. . . 1
1. — De rationibus quæ hujusce operis titulum explicant. . 1
2. — De notione theologiæ asceticæ. 5

BIBLIOGRAPHIA.

ACCETTI (Hier.). — " De triplici theologiâ, symbolicâ, scolasticâ et mysticâ." Cremonæ, 1582.

ANDRÉ (G.). — " L'ascétisme intégral," Lyon, 1907. V^r *L'université catholique*, n° du 15 Juil. 1907.

BLANC (Elie). — " A propos de l'ascétisme et de la mystique chrétienne." Paris, 1904. V^r *La Pensée contemporaine*, Mars 1904, p. 365.

BONNIOT, S. J. — " Ascétisme et Pathologie." V^r *Etudes religieuses*, Déc. 1878.

" Du mysticisme." Paris, 1878.

" Opposition entre l'hystérie et la sainteté." Paris, 1886

(1) Hic mihi liceat gratias referre R. P. Renato a Nantibus, O. M. C. directori Bibliothecæ franciscanæ Provinciæ Parisiensis, et R. P. H. Watrigant S. J., directori bibliothecæ exercitiorum S. Ignatii, in civitate Anghiensi, qui pro suâ benignitate in hujus biliographiæ confectione mihi magno et perutili auxilio fuerunt.

BOTTENS (Fr. Fulg) O. M. R. — "Judicium pacifici Salomonis." Gandavi (1713); p. 59-124. "De essentiâ seu naturâ theologiæ mysticæ."

BOULESTEIX (Calliste).— "La définition de la mystique." Paris, 1906. "Piété et mystique," Paris, 1909. V^r *Revue Augustinienne*, 15 Déc. 1909, p. 207.

"Dictionnaire de mystique chrétienne, ou essai d'encyclopédie historique et méthodique de tous les phénomènes merveilleux de l'âme." Paris, Migne, 1858.

DOMINICUS A SANCTA TRINITATE, O. C. — "Bibliotheca theologica." Romæ, 1676. T. VII, p. 179-191: "Notio nominis et rei theologiæ mysticæ."

